DE

STEPHANI PASQUIERII

LATINIS CARMINIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

P. DUPONT,

Scholæ normalis olim alumnus,

Nunc in Insulensi Universitate docendis Gallicis Litteris Præpositus.

PARISIIS,

APUD HACHETTE ET SOC., BIBLIOPOLAS.

MDCCCXCVIII.

DE STEPHANI PASQUIERII LATINIS CARMINIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

P. DUPONT,

Scholæ normalis olim alumnus,

Nunc in Insulensi Universitate docendis Gallicis Litteris Præpositus.

PARISIIS,

APUD HACHETTE ET SOC., BIBLIOPOLAS.

MDCCCXCVIII.

DILECTÆ MEMORIÆ

ORNATISSIMI ET BENIGNISSIMI VIRI,

FACULTATIS LITTERARUM INSULENSIS NUPER DECANI,

LEONIS MOY,

HOC FIDELISSIMI ANIMI PIGNUS

DEDICAT AUCTOR.

P. D.

INDEX RERUM

DE

STEPHANI PASQUIERII

LATINIS CARMINIBUS

I. — Quo tempore, qua autem mente, qua ratione Latinæ poesi Pasquierius operam dederit

Narravit ipse [1] Pasquierius quomodo, occasione data, annos circiter XLV natus, denuo factus sit ex causidico, historico, gallico poeta, *poeta latinus*.

Domi habebat conspicuum adolescentem, Carol. Marilliacum, cujus studia regebat propter amicitiam patris. Alumnum statim a pueritia hortatus est ut Horatium potissimum coleret, poetam suavissimum, ac sententiis creberrimum. Quem dum lectitat atque imitatur adeo profecit ingenuus adolescens ut præceptori et rubiginem quamdam forensem demeret [2] et doctorem in discipuli æmulationem vocaret. — Accidit enim, anno scilicet MDLXXIV, ut Jos. Molæus, vir nobilis, delicatis moribus notus, supplicio capitis affectus fuerit. Raram sane latinis versibus condendis materiam! Sic visum Pasquierio qui discipulum jussit Molæi latinum epitaphium Catullianis versibus componere, hortatus ne nomini hominis illudere parceret. Parum placuit opusculum tironis emerito viro qui rem retractare statuit, et magis Catulli stylo accommodare. Res ita successit ut, laudibus omnium captus, Pasquierius novo studio versus latinos componendi statim flagraverit,

---

[1] Lettres, VIII, I, ad. P. Pithœum (Cf. Epigr. II, 100; III, 35, 66; IV, 105; V, 17).

Editione ea plerumque utemur quæ Amstelodami (Trévoux) emissa est, anno MDCCXXIII, 2 vol. in-f°.

[2] Lettres, VIII, I, t. II, p. 198. «... M'ostant par ce moyen, une partie du rouïlle que la longue habitude du Palais m'avoit apporté, en tel sujet. Sur le moule de son esprit, je veux patronner le mien ... »

quorum (ut fatetur[1]), non omnino usum dedidicerat. — Itaque, ut ait,[2] animus ei mentem exacuit, mens manum, manus stylum, nec fere postea destitit, si qua se præbebat interdiu apta materies, eam noctu versibus concludere.

Tria sunt in hac narratiuncula quæ mihi prætermittenda non videntur. Primo adolescentulum laudo propter insuetam et jamdiu obsoletam magistro obsequentiam. Dein magistrum admiror qui materiam faciendis versibus talem tanta animi constantia elegerit. Denique id me juvat, id cordi est hominem gravem, maturæ ætatis, juvenili quadam æmulatione ita incitatum esse ut scholasticis artibus tota opera rursus incubuerit.

Finge autem, ætate nostra, Pasquierium novum exsistere, causidicum occupatissimum, gravissimum judicem, qui quicquid temporis vel causis agendis, vel exercendis judiciis subripere queat, id omne scribendis versibus latinis collocet. Quis risum teneat? Quis non digito monstret virum tantum tantulis nugis vacantem? Senem certe putent omnes repubescere, eumque ad pædagogium remittant. — Mens longe alia fuit de hisce rebus et Pasquierio et plerisque Pasquierii æqualibus. Tunc temporis enim vulgo putabatur studia omnis generis, vel minutissima et pæne puerilia, amplissimis viris convenire, neque senatori indecorum esse versus latinos in lucem protulisse. Quod si æqualium unus aut alter a consensu discrepuerit [3], mox monstrabitur et istas reprehensiones poetam potius quam ipsam poesim attigisse, et Pasquierium facile illatum crimen diluisse [4].

---

[1] Epig. II, 97.

> « Plurima nos ex his juvenili scripsimus ævo,
> Edidimusque senes ; num juvenile magis » ?

— Cf. Lettres VIII, I, t. II, p. 197.

[2] Lettres, liv. VIII, I, t. II, p. 198. « Le cœur aiguise mon esprit, l'esprit ma main, la main ma plume ».

[3] Inter quos latiæ poeseos contemptores primum obtinet locum P. Ronsardus qui de latinis poetis recentioribus hæc scripsit «. . . recousu et rabobiné je ne sçais quelles vieilles rapetasseries de Virgile et de Cicero ». (Préface de la Franciade).

— Cf. Joach. du Bellay. « Deffence et illustration. Liv. I. chap. XI ». — Patrocinium contra latinorum carminum suscepit Mich. Hospitalis in poemate quodam ad J. Morellum scripto (v. M. de l'Hôpital. Œuvres. Edit. 1825, t. III, epist. XIX, pp. 185-190).

[4] De latinorum versuum utilate, vid. L. Feugère « Vie d'Est. Pasquier, t. I, p. 131 (F. Didot, 1849). — Varias de hac re opiniones collegit A. Fabre in thesi : « De latinis Flecherii carminibus », 1870, pp. 97-98.

Quidquid est, satis constat sæculo XVI° bonam partem amplissimorum hominum musam latinam coluisse. Inter quos *gens forensis* fere universa peculiari quodam studio in condenda carmina ferebatur. Facilius enim est eos citare qui latinis versibus faciendis abstinuerunt, quam illos referre quotquot Vergilium, Catullum, Martialem ceterosque poetas quum antiquos, tum recentiores sunt æmulati. Quos si recensere aggrediar brevi me vires animique deficiant. Dicamne et Mich. Hospitalem, et Christoph. Thuanum in senatu parisiensi primarium præsidem utrumque, qui versus pangere latinos non dedignati sunt? Omittam J. Brissonem, P. Pithœum ipsum, Nic. Rapinum, Ant. Loysellum, tantam denique poetarum aciem quam vix enumerare valeat Homerus alter?

Sed hæc hactenus. Jam satis apparet Pasquierium dum latinis versibus operam dat, antiquitus traditum ac receptum servavisse morem nec solum, si peccaverit, peccasse.

Quas tamen ob *causas* tantopere *floruerit latina poesis* illis temporibus, præcipue apud patronos ac judices, inquirere operæ pretium erit.

Nonnullæ causæ sunt, quæ in universum valent et ad omnes æque pertinent. Quas referre et paucis verbis contrahere satis erit.

Primum omnium *Latina lingua*, quanquam ab actis forensibus nuper exclusa, quanquam Gallici sermonis usu in dies progrediente in dies imminuta, vigebat tamen [1]. Vigebat propter inveteratam consuetudinem, propter et scholarum disciplinam quæ tota latina erat. Bilingues temporis illius homines si non nascebantur, ex pædagogiis exibant, lingua utraque seu confabulari, seu scribere parati. Neque ut fit apud nos, statim e schola egressi latinos libros præ tædio rejiciebant; sed magno illo discendi studio incensi et quasi inebriati, Græcos lectitabant, lectitabant Latinos præsertim, sæpius repetebant, memoriter tenebant. Unde factum est ut non umbram quamdam latinitatis referrent, elegantias dicendi quasdam, lepores exquisitiores sermonis callerent, sed linguam totam amplecterentur, in usus omnes perinde ac suam adhiberent. Viris igitur ita instructis rem quamlibet latinis versibus exprimere ludus erat.

Sunt aliæ causæ quas referre sufficit, ut pote ille fere omnium quasi concursus in veterum operum *imitationem* seu translationem. Adde quod etiamtunc qui latino sermone utebantur largiore

---

[1] De hoc utriusque linguae quasi certamine, vide : F. Brunot. « La lutte avec le Latin », apud : « Hist. de la Langue et de la Littérat. franç... Petit de Julleville », t. III, chap. XI.

legentium[1] frequentia fruebantur et gloriam suam ultra patriæ fines dilatare poterant.

Causa quædam superest, forensium genti quasi propria, quam retinere expedit. Ego censeo *illi hominum generi ingenium* quoddam quasi peculiare inesse quod subtilitate, alacritate, amaritudine etiam ac nigro sale præcipue constat. Quæ facultatum temperies, etsi gallicis jocis ac facetiis ample expleri potuit, tamen liberiorem campum sibi aperiebat simul ac Latinam libertatem sibi vindicaverat. — Nam et petulantiora verba usurpare, et res per mores nostros vetitas attingere, atque etiam vel graviores contumelias latino sermone quasi fucatas insinuare, vel dicteria breviore sententia quàm fert Gallica lingua, includere licebat. — Mire igitur latinitas illa, quæ Comicos, Satirarum scriptores, Epigrammatum auctores comprehendit, cum noto forensium hominum ingenio congruebat.

Transeo ad illas causas quæ *propius ad Paschasium*[2] *spectant*, quæ planius meliusque explicant cur Latinæ poesi, quanquam sero, sese applicuerit.

Quæ res eo mirabilior est quod ipse omni ope enixus est ut patrio sermoni principem locum vindicaret, Gallicam linguam vel Latinæ constanter anteponeret. Qui fit igitur ut Pasquierius, postquam gallicae linguæ quasi patrocinium susceperit [3], idem quotidie latine scripserit versiculos? Hanc discrepantiam si primum explicaverimus, clarius inde apparebit quid revera Paschasius de latini sermonis usu senserit.

Equidem puto Pasquierium certas suas utrique linguæ partes statuisse, ita ut homo litteratus alterutra per vices uti posset[4]. Gallicæ sane ampliorem assignavit materiam, videlicet ut de rebus gravioribus provinciam haberet, Gallice causæ agerentur, res publicæ decernerentur, scriberentur annales, et cetera hujuscemodi fierent. Hanc ob causam ipse serios libros, utpote illas « *de Francia Disquisitiones* » [5], Gallicos fecit, non Latinos. Quod si quando « *Catechismum Jesuitarum* » Gallicum simul et Latinum esse voluit,

---

1 Cf. Epigram. V, 2. Ad librum.

2 Tria sibi nomina latina vindicavit noster, scilicet : Pasquierium, Pasquerium, Paschasium. — V. t. I, p. 1127. (Ad lectorem).

3 V. Lett. I, 2, pag. 3, ad Turnebum : « Sçavoir s'il est bon de coucher les arts et sciences en français. » Cf. St-Beuve, Lundis, II, 253.

4 Lett. I, 2 (t. II, p. 4). « Je veux que nous nous aidions de l'un et de l'autre, selon que les occasions nous admonesteront de ce faire... ». (Id scriptum est anno MDLII).

5 Vel potius « Origines Gallicas », ex verbo ipsius Pasquierii : Epistol. ad Thuanum, t. I, p. 1126.

id nihil ad rem. Etenim, ut opinor, arbitrabatur et licitæ calliditatis esse adversariorum fraudes communi lingua detegere, nec inurbanum homines bilingues bilingui confutatione oppugnare [1].

Alios in usus Latinum sermonem servabat, quem mirum in modum elegantioribus nugis convenire censebat, factum unice ad prodenda non indecenter nec inficete dicteria, jocos, lusus et alia mentis purgamenta quæ respuit publici sermonis dignitas et decor. — Neque alia forsan causa fuit (si causas certas indagari oportet, ubi mera libido esse potuit) cur Pasquierius, jam satis ætate provectus, Gallica carmina paene deseruerit, Latina rursus usurpaverit. Gallicos enim versus in lucem edere quodam modo poeticam exercere erat et poetam se profiteri, quod gravi viro ut indecorum objici poterat, Latinos autem versus hinc inde scribere, amicis recitare, [2] collegis communicare, typis etiam mandare, res erat nullius momenti et quæ fieri poterat integra et hominis et ordinis dignitate. — Quis enim tali viro jure objectaret quod aliquot noctis horas somno demeret ut somnia nescio quæ verbis latinis et metris, ad exemplar tot et tantorum virorum, includeret?

Crimen tamen ei, et unde minime venturum suspicabatur, illatum est, nisi forte Pasquierius ipse occasionem opportunam sibi purgandi ficticii criminis paravit. Nempe in illa ad P. Pithæum Epistola, de qua mentio fuit, operam dare videtur ut indecorum cum musis Latinis commercium excuset. Jam antea [3], dum Epigrammata Christ. Thuano dedicat, innocua seriæ vitæ diverticula summo viro approbare non intempestivum judicarat. Per jocum tamen plus quam serio apud summum Præsidem causam egerat.

Quando autem amico Pithæo respondet [4] (quod evenit, ut conjicio, anno circiter MDLXXXV) remoto joco rem tractat aut videtur tractare. Tria quae ei objecta sunt crimina diluit.

Parum decet causidicum, jurisconsultum, mox etiam judicem publicum, istius modi nugis vacare. Respondet Paschasius ludis istis nihil se temporis sui nisi horas subsecivas, quas alii inanibus ac pejoris exempli occupationibus dant, tribuere, neque id facere nisi præstantissimis exemplis munitum, Ciceronis scilicet, et Plinii

---

1 Nicolus haud aliter, quum libellum Pascalii, « Les Provinciales », latinitate donavit.

2 Cf Epigr. IV, 15, Ad Torquatulum.

3 Vid. Epistolam Christ. Thuano (t. II, p. 1126), quæ quidem scripta est anno 1580, vel 1582.

4 Lettres, VIII, I, ad P. Pithœum.

Junioris, et Ausonii [1], multorumque qui apud recentiores lusus poeticos cum rebus seriis accommodarunt.

Id etiam Pasquierio objectabatur quod joci, et facetiæ, et festiviores ludi male cum poetæ ætate congruerent. Libere ac jocose respondet adhuc se mente vigere, si non corpore omnino; porro si senectus secum affert nonnulla et animi et corporis incommoda, hilariter dicit velle se eo magis incitari ut etiamtunc rideat ac gaudeat. Ceterum asserit se ubique ab obscenis dictis vel rebus præ verecundia abstinuisse.

Restat tertium crimen, quod uno ferme verbo repellit. Credere est quemdam illi vitio dedisse quod pessimis patriæ temporibus parum turbatus, in mediis reipublicæ procellis, jocis et intempestivis lusibus vacavisset. Respondet Pasquierius, virili quadam nec incivili constantia, statutum habuisse ut, invita sceleratæ ætatis malitia, invita etiam senectute, genio indulgeret, tristitiam quoad posset rejiceret, sine peccato mentem sanam atque hilarem sibi servaret [2]. Quæ responsionis pars (hoc animadvertendum censeo quo melius animi constantia Paschasius probetur) scripta est pessimis reipublicæ temporibus, anno scilicet MDXCII, mense Januario.

Revera leviora studia studiis severioribus intermiscere, animum foro quotidie tritum jocis ac lusibus liberalioribus reficere, ea fuit Pasquierio ratio vivendi. Rebatur enim, homo et mente et corpore integer, studiosis necesse esse curam curis, labores laboribus ita temperare ut animus semper exercitatus, exhaustus nunquam, ad omnes usus utique paratus vigeret. — Nec sua eum fefellit opinio; nam dum juventutem arduis studiis occupatam lascivia gallicorum poematorum relaxat, maturam ætatem causis orandis, historicis libris componendis districtam latinis nugis noctu reficit, et validum corpus et integram mentem, tolerandis utrumque plus quam senilibus laboribus parem, usque ad extremam senectutem servat [3].

Musa utraque usus est Pasquierius haud ita ut inde sibi nomen pararet, necnon poetæ gloriam invaderet [4], quam ut, (quod opinor)

---

[1] Cf. Epigr. II, 14.

« Tullius et versus scripsit et Ausonius, etc. »

[2] Epigr. VII, 136 (Edit. 1618, p. 229).

[3] Lett. de Nicol. Pasquier, IV, 2, et IV, 11.

[4] Dicit tamen, sed poetica quadam arrogantia :

« Ingenium expressi varie prosaque metroque.
Fama ut post cineres splendidiore fruar ».
(Steph. Paschasii Epitaphium, T. II, p. 934),

palaestram exerceret, reficeret vires, et otium necessarium artibus non indecoris commendaret.

Quæ res magis apparebit postquam monstravero, et *quomodo* versibus vacaverit, et quem poeticæ *usum* sibi assumpserit.

Haud semel *quam versus faciendi rationem* habuerit Paschasius exposuit. Postquam rebus conficiendis defatigatus erat, et ipso somno quasi lassus, tum demum rei poeticæ operam dabat. Multo mane, lecto lente cubans, commode materiam volutabat quam sibi hesterno die seposuerat ; eam mente retractabat donec res in formam poematii vel epigrammatis redigeretur. Hanc antelucanam lucubrationem, hunc otiosum laborem gallico verbo appellare solebat « *son réveil-matin.* [1] » Relicto lecto, quos intra se composuerat versus chartæ mandabat. Qua tam ordinata scribendi consuetudine id proficiebat ut legitimis officiis nihil demeret, aliquantulum vix concessæ quieti detraheret.

Certum quoddam exemplum est quod afferam, unde melius deprehendamus prudentem illam ac temporis parcissimam (si non vere poeticam) poemata componendi rationem. In epistola [2] ad Ant. Loysellum scripta, narrat Paschasius se quondam, jubente amico, libros Epigrammatum duos duobus probati judicii viris detulisse, qui bona notarent, prava rejicerent ; rem autem ita cessisse ut si quid alteri placeret id statim displiceret alteri, ita ut integrum ex tot poematibus nullum manserit ; quamobrem poetam id secum decrevisse ne unum vel suspectum ex Epigrammatibus recideret. — Quæ res Pasquierio ut prosa oratione, sic numeroso sermone haud indigna visa est, eamque duplici forma induit, incertum tamen utrum eam prius epistola, an epigrammate [3] prius tractaverit. Quidquid est, farinam duplicem ex eodem tritico nostrum moluisse constat [4].

Inde haud imprudenter conjiciam hominem qui tam parce Musis admissionem dederit, nec nisi per intervalla seriæ vitæ versibus vacaverit, *poetam* non numeris omnibus informatum exstitisse, at potius aliquem *poeseos amatorem.* Quam veram nostri fuisse naturam existimo.

---

[1] Lett. VIII. I, (T. II, p. 197.)

[2] Lettres X, 12. — Cf. Lettres VIII, 4, pp. 199-200. à M. de Taix : « Je suis advocat le jour et poète la nuict ».

[3] Epigr. III, 66. — Cf. Lettres, X, 12 à M. Loysel, avril 1586.

[4] Hunc Pasquierio morem fuisse constat ex libello cui titulus : « Versions françaises du latin... » (T. II. 935, sq.).

Venam poeticam Pasquierio tenuem fuisse censeo, quanquam plurimos lingua utraque versus scripsit, nec unum ferme diem sine linea prætermisit. Præterquam quod poeticen non unice amplexus est (quod veri poetæ proprium est), sed ceteris curis adjunxit sociam modo, non dominam, haud ita natura erat instructus ut res magnas ac novas fingeret, altiores animi motus exprimeret. Subtilitatis ei, et judicii, et amœnitatis abunde erat, nec deerat exquisitior rerum domesticarum sensus, patriæ amor, religionis reverentia. Deerat tamen animi calor nescio quis, spiritus quidam qui supra res communes aufertur, mens denique illa divina qua per intervalla homines ejusdem temporis, etiam negotiis impediti, aliquando supra se ipsi elati sunt. Noster sane plus nimio musæ pedestri sese dedit, nec poesi quod melius in se aut rarius habebat reservavit. Sanam igitur mentem ac seriis rebus natam, hilare interdum et acutissimum ingenium fuisse Pasquierio constat, non os magna sonaturum, non pectus.

Id igitur extra dubium statutum sit, Pasquierium poetico ingenio mediocriter valuisse, nec aliud ex poeticis ludis petivisse quam animi refectionem non invenustam, atque etiam docti et ingeniosi viri famam. Quam laudem certe et meruit et adeptus est.

Jam maturum est ad ipsa poemata venire, per genera examinare, quid boni insit, quid pravi, quas res tractaverit poeta. Ad hanc operis incepti partem accedamus, postquam tamen notaverimus nunquam majora latinæ poeseos genera tentavisse Pasquierium, videlicet ingenii mediocritati parum accommodata ; nec quidquam vel in minoribus novavisse, sed formas jamdudum assuetas et tritas tantum usurpavisse:

Scripsit enim « *Tumulos* », scripsit « *Icones* », quæ genera tunc temporis admodum florebant [1]. De Tumulis igitur et Iconibus pauca tantum dicemus. Diutius in *Epigrammatum* libris morabimur, quæ pars poetici operis multo gratior est, rerum plenior, et ubi magis Pasquierius mentem aperuit suam, ingenium approbavit.

Id demum supererit ut de latinis Pasquierii carminibus judicium prodamus.

---

[1] Cf J.-A. de Thou, (de Vita Sua, p. 610. Ed. Panthéon Littéraire, année 1582). Patri defuncto monumenta duo erigenda curavit, unum marmore factum, alterum latinis carminibus compositum. — Gallica etiam epitaphia scripsit Pasquierius. V. Œuv. T. II, p. 925, sq.

II. — De Tumulis seu Epitaphiis.

Etsi titulum gravem ac pæne feralem præ se ferunt *Epitaphia* seu *Tumuli*, cave ne ex illis mœroris multum, vel Christianæ tristitiæ exigas. Sæpius et in hac re Pasquierius jocatur, genio indulget. Neque incautum rapit lectorem, quoniam statim in ode prima [1] eum sic monet :

> « Sunt etiam lachrymis ludicra mixta meis. »

Non certe desunt laudationes aliquot funebres, quæ aut veritate, aut dolore quodam, plerumque tamen rerum brevitate valent. Franc. Guisii [2], Gasparis Colignæi [3] Epitaphia, quanquam paulo laudibus incertiora, a tantorum virorum meritis non ita absunt. Non caret dignitate quadam Carol. Molinæi jurisconsulti Tumulus [4], nec venustate Othonis Turnebi [5]. Nonnulla alia poematia, forma simpliciore, sinceriore sensu, citari possent.

Verum Paschasius adeo ingenii acumina affectare assuevit ut his abstinere nequeat, etiamsi lugendum virum sibi dilectissimum susceperit. Pet. Ramum dum deflet, non potis est quin longius illudat morti hominis qui, ut scitur, aquis fluvii a plebe immersus, haud certo tumulo potitus est. Unde hoc, magis ingeniosum quam decens :

> « Qui Geometra animo tantum telluris obivit,
> Uno non potuit mortuus esse loco » [6].

Sæpius verba verbis opponere et variare ita amat ut pæne rerum curam omittere videatur. Quod fit in Oppiae vestalis tumulo :

> « Siste et mirandum hoc miserandumque aspice : Virgo
> Non virgo, tumulo non tumulata tegor » [7].

— In epitaphio præsertim Jos. Molæi (quod retulimus initium fuisse

---

[1] Epit. I.

[2] Ep. 4. — Ejusdem epitaphium alterum reperies in epistol. XIX. 4 (t, II, pp. 561-562).

[3] Ep. 13.

[4] Ep. 21.

[5] Ep. 34.

[6] Ep. 28.

[7] Ep. 7.

et fontem unde omnia latina poemata defluxere) omnia mentis subtilis acumina, lumina omnia protulit. Finem citare satis sit :

« ... Vos tamen Veneres Cupidinesque,
Vos tamen Charites venustiores,
Et quicquid tegit ampla Regis aula
Melliti, lepidi atque mollicelli,
Mellitum, lepidum, atque mollicellum
Flete molliter, ut misellus hic qui
Vobis vivere molliter solebat
Mortuus sibi molliter quiescat » [1].

— Nonne mera sunt hæc verborum lenocinia? Nonne lepores plus quam Catulliani ?

Qui sint generis poetici fines leviter curare Pasquierius videtur, nec dubitat ex Epitaphio nunc Satiram [2], nunc saltem Epigramma ducere. Sic in tumulo Ægidii Burdini judicis, perpetui sterteji illius, sustinet noster jocosam fabulam in Epitaphio, ut ita dicam, inserere [3]. Ejusdem modi est historia illa quam fingit poeta sepulchro ipso Parmenionis narratam [4], quæ longior aliquantulo est, et improbior, quam ut referatur. Ægre tamen prætereo poema quo jucundius nullum fere in toto Tumulorum libro reperias.

Nec blanditiæ inter Epitaphia desunt. Argumento est Gelliæ tumulus, Gelliæ sævioris puellæ quæ, pro more, cum frigido marmore comparatur :

« Hanc si forte vides isto sub marmore condi,
Gellia quum vixit marmoris instar erat » [5].

Ex hoc præsertim apparet Pasquierium vel in componendis Epitaphiis lusisse, quod sibi temperare non potuit quin, lascivientis scholastici ritu modoque, interdum aut nomina hominum facete permutaret, aut lectoribus ænigmata proponeret.

Legimus enim in Epitaphio XII :

« Quem *lucem in Burgo* Galli dixere penates » [6]....

Quid hoc rei est ? Quod Sphingis propositum est ænigma ? Jocus is

---

[1] Ep. 24. — Cf. Epigr. III, 90 : « De Jos. Molaeo moriente ».

[2] Ep. 42.

[3] Ep. 45. — Cf. Ejusdem epitaphium gallicis carminibus scriptum, t. II, 930-931.

[4] Ep. 48.

[5] Ep. 49.

[6] Ep. 12. — Forsan hoc in loco non « penates », sed melius « parentes » legendum est. — Cf. t. II, p. 932, ejusdem Epitaphium, gallicis numeris scriptum, neque adeo putidum.

merus est, neque tirunculo indignus, quo per facetiam designatur Sebast. Luxemburgæus. O præclare inventum et omni laude prosequendum !

Ænigma quoddam librum Epitaphiorum haud indigne concludit [1], ingeniosum sane et ambiguum satis, quod tamen ut aperiatur non necesse est Œdipoda ex inferis revocare. Filiolum sat erit ciere : dummodo latinas litteras componere jam calluerit, mox evolvet sententiam, ambiguo carmine involutam, quæ est « sepulchrum » et « pulchrum ».

Nulla intermissa mora, ex Tumulis ad Icones transeamus.

III. — De Iconibus.

Plura sunt in Iconum libro digna quæ legentem aliquantisper detineant.

Non quod absint omnino vestigia quædam vitiorum illorum quæ adeo dilexit Pasquierius ut istis carere ne unam quidem operum partem siverit, subtilitatem nimiam dico et illum verba omni modo vexandi quasi morbum. Vult enim Catharinam Medicæam laudare, quæ mediocris sane laudationis materies fuit ! Hac in re Pasquierius [2] abstinere non potest quominus utilitate nulla, jocandi tantum causa, Medicæorum nomen et Medicorum artem intermisceat [3]. Imo, de « Virgine Aureliana » dicturus, venerabili puellæ non parcit, sed intempestivis jocis et inepta verborum similitudine, rem per se sanctissimam omnino corrumpit [4]. Illud tamen judicii sui vitium, quod nunquam corrigere valuit Pasquierius, in præsens omittam ut ad meliores statim operis partes transeam.

Quis suspicetur Pasquierium uno disticho et regem Philippum Pulchrum laudasse, et suam de Gallicanæ ecclesiæ libertatibus opinionem expressisse ? Nempe, nisi fallor, rem gravissimam secat, quid Regi debeatur, quid vicario Dei, duobus hisce versiculis :

« Hic docuit nostri quænam retinacula regni,
Pontificemque suis claudere limitibus [5] ».

Quamdiu temporis sui Reges ac Principes versibus depingit

---

[1] Ep. 59.
[2] Ic. 30.
[3] Cf. Ic. 9. 85. 86.
[4] Ic. 31.
[5] Ic. 14.

Pasquierius, dicas eum per ignes cineri suppositos incedere, adeo caute et quasi suspenso pede graditur. Ubi vero de priscis ætatibus agitur, ejus statim liberior fit sermo. Ambagibus missis antiquos laudat, romanos præsertim pristinæ ætatis versibus libere extollit. Unus enim inter primos Pasquierius, regi ceterum obnoxius ac statutis legibus deditissimus, imaginem quamdam publicæ Libertatis sibi formaverat, quam religiose colebat et versibus prædicabat, non ita tamen ut in res transferre eam aggrederetur. Jam tum e scholis evolabant, — examina densissima, — juvenes vere Catoniani, tetrico Libertatis et Reipublicæ amore inflammati, tyrannum quemlibet pugione ferire, Harmodii instar, parati, regis tamen dictis obedientes et ad omnia officia paratissimi magistratus. Audi Pasquierium nostrum, quibus laudibus Catones ornet et Brutos, quo fastidio Cæsares et Augustos et ceteram tyrannorum fecem deprimat!

« Romula dum felix vixit Respublica, vixi ;
Et certum est nobis hac moriente mori [1]. »

De C. Julio Cæsare ;

« Singula discutias, magnæ virtutis imago
Julius ; at nihil hoc, expendas omnia, pejus [2] ».

De religione etiam liberius quam exspectare erat judicium promit, quando Constantinum et Theodosium laudat [3], vel potius varias de Juliano imperatore opiniones sine studio et æqua lance refert :

« .... Id cur tam varie atque unde hæc discessio quaeris ;
Ista tibi peperit jurgia relligio [4] ».

In philosophia male sibi cohærere videtur ; nam si Pyrrhonem scepticum vulgari illo argumento confutat :

« Esse aliquid certi vel te doctore docebo :
Omnia nam saltem certum est incerta vagari [5] » ;

est ubi res humanas in ambiguo et incerto esse asserit, neque ad dexteram neque ad sinistram declinans, qui his verbis pariter et Heraclitum et Democritum improbat :

« Scilicet in vanis cum sit spes nulla medendi,
Vanior est risus, vanior est gemitus [6] ».

---

[1] Ic. 48.
[2] Ic. 49. — Cf. 52-52bis, Auguste.
[3] Ic. 59.
[4] Ic. 60.
[5] Ic. 79.
[6] Ic. 76.

Quæ anceps Pasquierii sententia amico Montanio non displicuisse arbitror.

Multa sunt epigrammata in hoc libro forsan non prætereunda, quae tamen praetereo, ne eadem laudem, reprehendam eadem usque ad fastidium. Jam satius est ad ampliorem poetici operis partem festinare.

Festino igitur ad Epigrammatum libros [1], opus Pasquierii longe optimum (in illo saltem genere), rerum varietate opimum, omnibus ingenii lenociniis distinctum, omni candore animi etiam commendatum [2].

IV. — De Epigrammatum libris VII.

In epigrammatibus Pasquierius fere totus est. Genus enim solutum, ad omnia paratum sive seria sive jocosa, mire congruebat et cum hominis ingenio et cum ejus componendi consuetudine.

Nullos itaque versus suos adeo dilexit, nullos tantopere venditavit, quibus quidem certiorem laudis suæ partem mandarat. Epigrammatum libros clarissimo cuique viro ita commendat ut ambiguum sit utrum modestia an sollicitudine nuncupationes præstent. Eos cura vere paterna prosequitur, eis verecunde simul ac instanter amicorum laudes efflagitat [3], nec fictam omnino iracundiam exprimit quum cuidam succenset [4] qui versiculis suis ne uno quidem verbo blanditus erat. Ingenue etiam fatetur se Epigrammatia hinc inde recitare solitum [5], neque unum ex densissima illa silva demere sustinuisse. Etsi hæc plerumque per jocum scripta sunt, restat tamen Pasquierium versus hosce peculiari quadam pietate, ut finxerat, coluisse.

Quamvis aliquando Epigrammata sua nullo labore parta magnopere glorietur,

> « ..... Debent Epigrammata nobis
> Sponte sua nasci, Pontice, non fieri » [6];

---

[1] In editione MDCCXXIII, desunt et Epigrammatum liber. VII et Iconum lib. II, quæ demum in Edit. 1618, Petit-Pas, repperi.

[2] Nonnulla alia carmina latina in Gallicis operibus Pasquierii reperire est. (v. La Puce. — La Main. — Versions françaises du latin. — Lettres). Ea consulto omisi quod et pleraque in Epigrammatibus aliisve libellis inserta sunt, et a ceteris versibus latinis nihil absunt, nec meliora, nec pejora.

[3] II, 3. Ad Loysellum.

[4] III, 8.

[5] Ep. IV, 15.

[6] Ep. III, 35.

suspicor tamen eum non semel ungues rosisse et ultra quam sibi concesserat vigilasse, ut dilectos Musæ suæ natos indignos minus proderet, qui vulgi inepti fastidium vincerent, delicatiorum judicia aucuparentur [1].

Epigramma cur potissimum noster assumpserit perspicuum est. Genus enim omnium fuit liberrimum et ita compositum ut omnes res, omnia sensa animi admitteret. Magistros sibi atque exemplaria profitetur habuisse Paschasius, Martialem, atque Ausonium [2]. Addo etiam Græciæ Anthologiæ poetas et Latinæ, ac complures alios tum antiquos, tum recentiores. Florebat enim tunc Epigramma, nec genus alterum poeseos magis placebat. Non hoc epigramma, quod intelligimus, rapidum, acutum, acre [3]; sed lascivum modo, modo mordax, modo etiam triste ac severum [4].

Pasquierius generis hujus fines, jam latos, dilatat, a quo nihil fere alienum putat, ut ex libris suis apparet et ex Epigrammate quodam libri I :

« Vix etiam a Satyra possunt Epigrammata abesse,
Sunt sine, ni mordent, carmina nostra, sale, etc. » [5].

Unde sequitur ab hoc tam multiplici carmine nihil abhorrere quod in facili forma includere poetæ placuerit. Sunt enim carmina de re omni : hic Pasquierius de se ac suis libere dicit, vel de amicis ; — illic in fictis amoribus detinetur ; — alias satiræ morum indulget et jocose vitia multorum perstringit ; — nunc de rebus publicis opinionem promit ; — nunc etiam gravioribus rebus, philosophiæ scilicet ac religioni, operam dat.

Hanc rerum partitionem sequemur, quo clarior fiat nostra in tam variato opere indagatio.

§ *I.* — *De se ac Suis.*

De se ipso in Epigrammatibus parce loquitur noster, de suis autem abunde.

Qualis fuerit Pasquierius, industrius, negotiis intentus, facili atque hilari ingenio, animo æquo et leni, id tibi apparebit potius si universum opus evolveris, quam si carmina certa elegeris.

---

[1] V. 2, ad librum.
[2] IV, 79.
[3] Cf. Boileau.
[4] Cf. du Bellay, Ronsard, Vauquelin, etc.
[5] I, 69.

Unum tamen et alterum excerpam unde videre erit qua comitate in servos, qua erga uxorem observantia usus sit.

Facete queritur servum sibi fuisse Iberum, cujus mores nec tolerare, nec corrigere potis erat. Quid igitur? Humanior herus servo malo utitur ut se ipse patientia meliorem faciat:

« Invida sors servum nobis obtrusit Iberum
Quo nihil est vecors insipidumque magis...
... Scilicet acceptum huic refero, quod tempore callum
Obduxi, et bilem temperat inde mihi »[1].

Patientiam et aliunde vir bonus edidicit, nempe ex moribus uxoris, quæ quotidie, nulla mora, servis succensere solebat, nec conjugem requiescere sinebat, nisi et ipse miseris mancipiis succenseret. Quas domesticas ærumnas jucundiore epigrammate dolet:

« Nulla dies nobis, non horula præterit una,
Non punctum, nullus temporis articulus,
Quo non væ miseris servis succenseat uxor,
Succensetque mihi ni simul ipse querar.
Illius ad nutum totus componor, et idem
Pacificus quum sim tristia bella gero.
Sic mihi pax bello, sic bellum pace paratur
Et placide ut possim vivere, vivo miser.
Sic vel cum servis, vel conjuge litigo; sic est,
Hei mihi, conjugium litigiosus amor »[2].

Sæpius de eadem uxore querelam habet, cui suam exprobrat avaritiam vel injustas de viro suspiciones. Femina enim quæstui intenta tumultuatur et clamat virum suis deesse, si quando unam horam relaxando animo seposuerit. Inde orta est hæc miseri conjugis ad uxorem supplicatio:

« O conjux, fruere omnibus meis, sed
Tantillum sine me frui meipso »[3].

Conqueritur alias quod maritum uxor, invita lege qua inter se convenerant ne malis de alterutro rumoribus crederent, injustis usque suspicionibus vexat:

« ... Lex rescindenda est, vel tu mea blanda voluptas,
Nostra exturbanda es, (lege manente) domo »[4].

Est ubi Pasquierius blande uxorem dictis vellicat, exempli gratia, de ætate, nec ignoramus eam, jam viduam, ævo grandiorem in matri-

---

[1] I, 87.
[2] I, 17 De se ipso.
[3] VI, 28.
[4] V, 23.

monium a conjuge assumptam. Hoc est epigramma quod latino sermone tolerabile, Gallico autem fere inurbanum videtur:

« Æquævam mihi te narras ambosque sub uno
Vitam sortitos temporis articulo.
Siccine fata volunt ? at tu si vera recenses,
Hui ! quanto superas, lux mea, me senio ! » [1].

Illis de uxore dicteriis fidem parce adhibere decet, quippe compertum habemus Pasquerium maritam constanti amore ac pia reverentia adeo prosecutum, ut melius in toto regno conjugium nullum exstiterit [2]. Illæ sunt meræ facetiæ, joci meri, quos tolerabat priscus mos majorum, nec respuebat latinæ linguæ et romani ingenii lascivia et quasi amarior hilaritas.

Amicis multa Pasquierius epigrammatia inscripsit, amicis praesertim quibuscum communi litterarum amore magis quam quotidiana familiarite teneretur. Nonnulla eminent nomina virorum illustrium, J. Aurati, P. Ronsardi, Buchanani, Sc. Sammarthani, Jos. Scaligeri, Nic. Rapini, Phil. Portani, quæ magnam lectoris exspectationem movent. Credas enim de tantis viris nihil dici posse quod non arrectum legentis animum teneat. Sæpius tamen re spes longe decipitur, nec quidquam reperire est in istis superfluentibus versiculis, præter nugas haud illepidas, verborum usitatos tinnitus, nil vero in laudibus certum ac laudandis viris proprium. Vitium dicendi, certe exprobrandum, non tamen Pasquierio peculiare, sed omnibus fere temporis illius scriptoribus, vel Gallico sermone utentibus, commune.

Postquam Jo. Auratum haud inepte laudavit:

« Scribunt carmina ceteri poetæ,
Summos at facit unus hic poetas » ; [3]

dicas eum facti pœnituisse, qui mox ad solitas verborum præstigias confugit, et, ut eumdem eruditum virum laudet, talia Phœbo subjicere non dubitat:

« *Aureus* haud, verum *laureus* esto mihi » [4].

---

[1] Ep. I, 68.

[2] Cf. T. II, 878 « Elégie à sa femme ». — cf. Epitaph. lib. (Ed. 1618). Epit. 115 et 116. « Franciscæ Bellinæ Uxoris ». cf. Lett. I, 9 — IX. II. — De domesticis Pasquierii virtutibus, comp. L. Feugère, p. CXII sq.

[3] Ep. I, 15.

[4] Ep. II, 29. Cf. II, 12 de Jos. Scaligero :

« Venientia saecla, Josephe,
Aligerum dicent quem modo *Scaligerum* ».

Cf. II, 43 ; VI, 59.

Quædam tamen sunt Epigrammata de amicis quæ propius ad simplicitatem veræ amicitiæ accedunt. Nusquam tamen, ni fallor, quemadmodum in Epistolis, aperto animo loquitur, quod fit propter quamdam latini sermonis verecundiam, propter et angustias illas quibus fere urgetur quicunque, aliena lingua usus, non potis est qui res plane exprimat. Exempli causa, vult Pasquierius ad cœnam invitare amicum, J. A. Baïffum, qua invitatione nil in orbe simplicius [1]. Quare ergo tot poeticis ambagibus, tot fucatis verbis utitur, nisi quod mentem memoria plurium hujusce generis poematum purgare non potuit ?

Rem igitur sic concludam : dum ad amicos scribit aut scribit de amicis, Pasquierius raro sui juris est, nisi forte de re litteraria (vel de re forensi) tractat. Talis ad Edemericum Bigotium Tibermenium epistola [2] quæ certas aliquot res, sinceriores sensus exprimit. Talis et illa epistola quam Pasquierius scripsit ad J. A. Baïffum [3], qui aggressus erat gallica carmina certis numeris pedibusque, more veterum, includere, quæ res audaciori poetæ non bene cessura videbatur [4].

Rariora tamen sunt hujuscemodi Epigrammata ad amicos quæ, præter verba et voces, aliquid certi contineant.

Inquiramus nunc *Rem Amatoriam* quomodo tractaverit Pasquierius, num eo demum aliquid sinceri induxerit.

§ *II. — De Amatoriis poematiis.*

Amorem Pasquierius rem omnium gravissimam ducebat in vita, in poesi autem levissimam. Castos, ut opinor, mores habuit ; musam certe vel molliculam, vel etiam procacem.

Constat eum veros et intimos animi affectus silentio plerumque, præ pudore, prætermisisse, nec quicquam ab amore petiisse nisi amplam ac facilem silvam unde innumera poematiorum argumenta duceret, nunc blandiora, nunc amariora, nunquam tamen seria.

Pauca sunt carmina quibus noster opinionem generatim de femina et de amore profitetur. Plura sunt quibus fictos amores suos dicere voluit, fictas amicas celebrare, plurima denique, quibus amori, feminis, viris, conjugio etiam liberius illudit. Ordine servato tria poematum genera singillatim recensere animus est.

---

[1] Ep. VI, 45.
[2] II, 51.
[3] I, 59.
[4] Cf. t. II, pp. 941-944. Hic reperies versus plures Gallicos, Baïfii ad exemplar compositos.

Feminam pessimum animal simul ac optimum exsistere ratus est Pasquierius, qui dicteria modo, modo blanditias in muliebre secus juxta spargit. Varia crimina et querelas hoc disticho contraxit :

« Femina res fragilis, res futilis et puerilis,
Mobilis, imbellis, denique nil nisi lis »[1].

Feminis tamen fato quodam summa in homines concessa potestas est, quæ muliebri Venustate, muliebri Pudore constat :

« ... Nam licet imperio sibi vir blanditur iniquo,
Armaque jusque suo temperet arbitrio,
Quæ tamen in nobis renitet genuina Venustas
Jus habet in cunctos imperiosa viros ».[2]

Plus etiam pudore quam ipsa venustate femina valet, ut ex istis versibus apparet :

« Hoc fato muliebre genus natura creavit
Hujus ut assiduus regnet in ore Pudor.
Vim roburque viro, non ullo aspersa pudore,
Corporibus robur, vim dedit ingeniis.
Corpore et ingenio qui cetera vincit, eumdem
Virgineus potis est exsuperare Pudor ».[3]

Jam satis dictum est ut pateat Pasquierium, pro more ætatis suæ, feminam religiosissime veneratum esse, haud ita tamen ut superstitione occæcaretur.

Certam *Amoris* rationem et absolutam amandi doctrinam[4] in Epigrammatum libris inquirere, absurdum sane. Ut feminam, sic amorem, arbitrio suo, nunc laudibus extollit, nunc probris deprimit. Unum referam epigramma quo varias de re opiniones in unum coegit. Illud est quo Pasquierius amorem cum Chao, sueta subtilitate, haud tamen inexpresse, comparat :

« Ergo Chaos densum rupisse putemus Amorem,
Qui nihil est, aut est nil nisi triste Chaos ?
Spes, timor, ira, preces, bellum, pax, gaudia, luctus,
Et lacrymæ et risus sunt in amore simul.
....
Istud nonne potes jure vocare Chaos ?

---

[1] Ic. II, p. 279. (Ed. 1618, ap. Joa. Petit-Pas).

[2] Epigr. I, 12.

[3] Ep. VI, 17. De muliebri pudore.

[4] Eam amandi doctrinam aliis in libellis expressam invenies (v. Le monophile — Colloques d'Amour — Lettres Amoureuses), ac pæsertim in poematiis istis : « Les jeux poétiques ». (T. II, pp. 827-896). — cf. Lettres, XXI, 6.

Quid quod *Roma*, *Maro*, *Ramo*, *Mora*, quid quod et *armo*
Dissona quæque suo nomine gestat Amor?
Scilicet ut vani Chaos est effectus Amoris,
Sic chaos implicitum nomen Amoris habet ». [1]

Quid multa? Amorem, credo, Pasquierius paulum reformidabat [2], multum reverebatur, parce ipse colebat, satis habens si in littore securus ceteros homines cupidinis tempestatibus vexatos spectaret, atque ingeniosos versus de parum expertis libidinibus componeret.

De *amoribus suis* tam abunde scripsit Pasquierius, tot mulierculas statim ab adolescentia usque ad extremam senectutem carminibus coluit, laudavit, incusavit, ut famam ipse suam pæne læserit. Dicas eum, quem scimus vere uxorium fuisse, quasi ex industria mulierosi famam affectavisse.

Quod crimen non semel diluit, vel potius crimini obviam ivit. Hoc enim scripsit [3] in epistola liminari ad Christ. Thuanum : « Accusabant alii me præter ætatem Sabinam mollioribus versibus coluisse..... Ad quos ego sic paucis. Sabinam nullam, me unum tantum colui, et ut libere profitear, ingenio meo indulsi » [4]. Testatur alias se fictas puellas amore ficto prosequi :

« Nam quam depereo nulla Sabina mihi est. » [5]

Lege etiam illud septimi libri Epigramma :

« Te si convenio, vetus hoc Nasonis in ore,
Procule, semper habes ; turpe senilis amor.
Nulla Sabina mihi, nulla est mihi Margaris. Ergo
Quas colo blanditias? Uror amore mei. » [6]

Cedant igitur Sabina [7], Galla [8], Lælia [9], Margaris [10], Dina [11], umbræ inanes, vana nomina!

---

1 Epigr. I, 36.

2 Cf. V, 112,

« ... Et subito, et longe, tarde rediturus abito :
Ut pestis, sic hac arte fugatur amor ».

3 Cf. T. I, p. 1126. Anno circiter 1585.

4 T. I, p. 1126. — Cf. t. II, pp. 828-829 : « Au lecteur », en tête des « Jeux poëtiques » — «... En mes heures de relasche, je me joue de l'amour, non luy de moy ».

5 Epigr. III, 95.

6 Ep. VII, 122.

7 Ep., passim.

8 Ep. I, 19.

9 Ep. I, 20.

10 Ep. VII, 48.

11 VI, 39. — Adde Helenam nescio quam, VI, 65.

Ergo Pasquierius amatorem utique mentitus, nullam amavit puellam? Quod contra. Plures simul amavit, ut ingenue fatetur :

« Tempore tres uno colui quinasve puellas,
Atque adeo plures nunc coluisse juvat. » [1]

Re vera totum muliebre genus diligebat noster, femineos cœtus vir gravis cupide assectabatur, feminarum sermonibus unice [2] gaudebat, femineum ingenium præcipue æstimabat [3]. Unus fuit ex hominibus illis qui, moribus integris, a libidinibus abhorrentes, mulierum commercio eo magis delectantur, quo longius provehuntur ætate. Rem ipse testatur Pasquierius, dum queritur se juniorem parum amando profecisse, sperat autem fore ut maturus magis proficiat :

» .... fac, Amor, ut sit
Amplior autumno quam mihi vere favor ! [4] »

Amorem quippe illum, qualem Pasquierius intelligebat, castum, a sensu alienum, totum mente ac dulci quadam caritate constantem, adeo non dirimit ætas ut eum augeat ac foveat [5]. Quod significare voluit noster, ut suspicor, eleganti hoc Epigrammate :

« ... Miraris quod amem, quod amans Epigrammata scribam,
Versibus inque meis me novus urat amor :
Insanire (ais) hoc est et puerascere. Quidni ?
Nempe insanus amor, nempe Cupido puer.
Sed cum insanus amor, tamen hæc insania lucro est,
Quæ mihi reddiderit cor juvenile seni. » [6]

Pasquierius igitur mentitos amores celebravit, fictas dominas

---

1 Ep. II, 9.

2 V. Iconum lib. II (éd. 1618, p. 287) :
« Venari potius, quam mihi præda placet ».

3 V. « La jeunesse de Pasquier (1613) ». — Cf. La « Puce », la « Main ». — Epistolæ plures sunt quibus se profitetur fuisse « le Paranymphe des femmes », vel « le Chevalier d'honneur de toutes les femmes ». V. Lett., VII, 34, I, 18.

4 Epigr. III, 28. — Cf. « Jeux poétiques » IVe partie (T. II, p. 882).
« Las ! Si l'Automne est de fruicts despouillé,
Fay pour le moins que mon Automne cueille
Plus d'heur de toy que je n'eus au Printemps ».
Cf. Epistol., lib. VI, 4 (T. II, p. 158)

5 T. II, pp. 897-898. Lett. de P. à M. Airault, en tête de « La Pastorale du Vieillard amoureux ».

6 Epigr. I, 74. Ad. Ant. Loysellum. — Cf. Lett. VI, 3 et 4 et II, 5.

versibus induxit, amatoris induit personam, dum magistros amatoriæ poeseos, et veteres et recentiores, omni industria est imitatus [1]. Id tamen excipiendum est, scilicet hunc ita rebus amatoriis manum admovisse, feminas adeo dilexisse, ut personam verisimiliter, non inscite, tironis instar, agere potuerit.

Quomodo igitur amorem verbis expresserit, si non re sit expertus, paucis allatis exemplis comprobemus.

Subtilitate quidem satis valet Pasquierius in dicendis amoribus suis, ardore autem et vi et sapore etiam plerumque caret. Sabinam suam, pro more, cum nive, vel cum marmore comparat, nec semel, nec paucis versibus :

« ... Frigida sit quamvis, at nix quoque frigida torret,
Frigida sis, uris sæva Sabina tuum. »
....
... Cur novus hanc non sol discutit igne nivem ?
Nempe quod æterno statuerunt numina fato
Ut mihi Nix esses Solque, Sabina, simul. » [2]
....
« Sis nive frigidior, sis marmore durior ipso,
Spem tamen a nobis non fugat acer Amor.
Æstus intus alit nix, urit quippe, nec ignem
E silicis venis elicuisse novum est. » [3]

Plura sunt putidi istius generis Epigrammata, quæ Gallico vocabulo clarius exprimantur « *madrigaux* » Tale est hoc ad Diodoram dicatum :

« Misisti dulces ad nos, Diodora, tabellas
Quas me Mulcibero sacrificare jubes.
Scilicet has mavis, quam te, Diodora, perire.
Jam cremo, sed caveas ne simul ipse cremer » [4]

---

[1] Cf. Lett. I, 3. « Que lorsque nos poètes discourent le mieux de l'amour, c'est lorsqu'ils sont moins atteints de maladie ». — Cf. Epigr. VI, 83. « De poetarum amoribus ». — V. « Jeux poétiques » Ve partie (T. II p. 889):

« Si de l'amour je chante les effects,
Sçachez, Thiard, qu'aux discours que je fais,
Je suis sans plus amoureux de moy-mesme ».

[2] Epigr. II, 15.

[3] Ep. IV, 16. Alibi Sabinam suam comparat cum arbore, seu herba, quam veteres et « sabinam » dicere solebant. V. Epigr. IV, 94.

[4] Ep. VII, 90. — Cf. R. Belleau, (Edit. Elzévir. t. II, pp. 200-20.) : deux Sonnets « Sur une lettre bruslée ».

Quam eleganter, quam venuste de ægrotante Sabina nugatur !

« Carpebam domina fragrantia basia ab ægra,
His cum nos breviter pressit amica modis :
« Ah vereor ne te febris contagia lædant,
Languidulis nectis qui tua labra meis ».
Huic ego : « Suaviolis morbi contagio serpat,
Dum tu etiam morbo corripiare meo » [1].

Si quando torpet Pasquierii ingenium, vel languet amor, statim confugit ad varias artes quibus vel optimi poetæ vulgo utebantur. Raro quidem veteres de diis fabulas ad auxilium vocat ; aliquando tamen hanc adhibet deficientis venæ opem, nec illepide, ut quum Sabinam suam cum Junone, Minerva, Venere comparat :

« Judicium Paridis nolito utcunque vereri,
In te cum solàm tres coiere Deæ » [2].

Putidius identidem eruditionem, vel historicam, vel juridicam, poesi et amori miscet, seu Sabinam suam veteribus Sabinis conferat [3], seu eamdem præferat ceteris studiis suis [4], sive etiam uter utra sit prior, Amor an Lex, graviter inquirat [5].

Si quando frigidiores nugas ponit, si ardentiorem amorem fingit, etiam tum noster genio indulget, certas quasdam amatoriæ poeseos regulas servat, præcipuos imitatur auctores. Catullum scilicet sectatur, vel recentiores Catulli imitatores, Jo. Secundum, Ja. Bonefium (quos quidem ita laudat ut iis magistris usum se confiteatur)[6], vel etiam Theodorum Bezium in Juvenilibus. Eadem est in Pasquierio quæ in Catulli sectatoribus, diminutivorum geminatio et versuum iteratio, quæ elegantiæ, ut sæpius repetitæ, denique molestæ fiunt.

« Dum pellucidulis micas ocellis
Et dum flos viret ipsius juventæ,
Da mi millia mille basiorum,
Ipse millia mille dem vicissim.
...... Quotquot millia basiationum
Negas floridula tua juventa,
Tot tot millia lacrymationum
Edes pallidula tua senecta » [7].

---

1 Ep. IV, 101. — Cf. VII, 34.
2 Ep. V, 93. — Cf. I, 56.
3 Ep. VI, 49.
4 Ep. I, 39:
« Tu sola Historia es, Caussa, Sophosque mihi ».
5 Ep. VII, 3. « De lege et Amore ».
6 Ep. VI, 44 et VI, 52.
7 Ep. II, 74.

— Mollioribus istis dicendi blanditiis abutitur [1], quod novum argumentum est eum improbos amores ac libidinis nequitias mente tantum hausisse, post generis doctores expressisse, non autem in usu habuisse. Propius enim ad verum accessisse videtur, castus homo, quando puriora basia a Julia, puella quadam, postulat hisce versibus :

« Basia da, sed quæ dat casta puella puellæ :
Hæc non deficiunt, semper at incipiunt.
Nolo ego delicias lascivi, Julia, lecti,
Quæ simul incipiunt decipiuntque simul » [2].

Postquam monstravimus Pasquierium in dicendis amoribus suis parum gravem fuisse, sed utique amabiliter lusisse, haud mirum videbitur eumdem sæpius amorem atque amantes, matrimonium ipsum et maritos ludibrio habuisse, neque de re tam sancta liberioribus jocis et dicteriis, verbis etiam procacibus, abstinuisse.

Nempe homines temporis illius prave dixisse minus pudebat quam prave fecisse [3]. Verborum lasciviam morum integritas tolerabat et excusabat. Quid quod antiquitus Gallis patribus usitatum erat amoris nequitias, maritorum ærumnas, conjugii varios casus, conjugum fraudes, per facetiam, nulla tamen malitia, irridere? Adde quod Pasquierii æquales, devoti veterum sectatores, non modo licitum, verum etiam decorum putabant audacissimas nequitias sermone inverecundissimo inducre, dummodo sacrosanctam antiqui scriptoris auctoritatem prætendere sibi possent. Quod facile omnibus ac in promptu erat.

Quod si concessa Latino sermoni libertate plus quam libere usus est Pasquierius, rogo venia eadem mihi detur, quando proterviora carmina, argumenti causa, afferre necesse erit. Qua venia, ut spero, parco utar.

Jure suo præstringit Pasquierius feminas illas quæ pudicitiam simulant, at cupidine cæca moventur. Hæc vidua luctum fingit quo facilius maritum novum retiis captet :

« Quæ flet culta suum non luget Amœna maritum ;
Quid facit ergo ? *Alium* quærit Amœna virum » [4].

---

[1] Cf. III, 7 et IV, 2; — VI, 51.

[2] Ep. V, 90.

[3] Feugère, p. CXXV : “ Nos pères redoutaient moins de parler librement que de mal agir. ”

[4] Epigr. I, 41. De Amœna vidua.

Illa autem invictum divitiis animum gerit, non vera abstinentia, sed quo facilius libidinem expleat suam :

« Nubere Paulino mavult Marquettia nudo
Quam reliquis, cum opibus divitiisque suis.
Hunc cupit, hunc quærit quamvis Marquettia nudum.
Jam scio cur : nudos plus amat illa viros » [1].

Audi Carmen nuptiale festivitate quam lasciva, Gallico vere ritu, canat :

« Jamjam tempus adest, nox instat, prœlia inite ;
Non Venus hæc, non hæc prœlia vincat Amor.
Arma ministrat Hymen queis vulnere victus eodem,
Hic gladio, hæc clypeo, vincat uterque simul » [2].

Vetus jocandi locus apud majores nostros fuit subita ista masculæ virtutis defectio, sive naturalis fuerit, sive magicis artibus, ut putabant, assignanda. Hanc ludendi materiem, quamvis lubricam, non omisit noster :

« Nexuerat magicis Ruffo genitalia nodis
Hæres, ne sobolem posset habere sibi.
Agnovit Ruffus technas, ideoque reliquit
Legatis cunctas cum moreretur opes....
Quam sero sapuit ! Nam si cum viveret istud
Fecisset, poterat consuluisse sibi »[3].

Duplici gaudio gaudet Pasquierius quum facetiam proferre datur quæ simul et improbitate quadam et subtilitate forensi valeat. Cujus generis est hoc epigramma *de Auli Testamento :*

« Postremis tabulis vita cum cederet Aulus
Hæredi Caio substituit Titium :
Caio cui mulier meretrix ; Titiumque bicornem
Uxoris sordes qui videt et patitur.
O Testatoris mens provida consiliumque !
Non potuit Caio substitui melius ! » [4]

Exquisitis impudicitiæ muliebris facinoribus delectatur eaque facete excusat, ut Petruchii uxoris :

« Uxorem jugulas gravidam, castrate Petruchi,
Hanc quasi Julia lex damnet adulterii.
Quidnam, ingrate, facis ? Voluit temerare pudorem
Virgineum, famæ ut parceret illa tuæ » [5].

---

[1] Ep. III, 31. De Marquettia.
[2] Ep. VII, 7. De Boveti et Renuellæ nuptiis.
[3] Ep. I, 85. De Ruffo.
[4] Ep. V, 14.
[5] Ep. VII, 20.

Est ubi noster miscet omnia, virum eviratum inducit qui, ab uxore incusatus quod eam efficere vere feminam nequiverit, audacter ac subtiliter respondet violare se justitiam potuisse, nedum mulierculam unam intemeratam reliquerit :

« .... Non corrumpam ego virginem tenellam,
Qui corrumpere masculam puellam
Possim Justitiam ? .... » [1].

Jocatione non illepida, improba quamvis, casus ridetur medici illius, cui sua non bene cessit avaritia, quod erit perspicuum si turpiorem narratiunculam legere te non puduerit :

« Brutidiam Fronto curaverat arte puellam
Et nullam medico solverat ægra stipem.
Conqueritur medicus. Mulier sed : Quam exigis, inquit,
Mercedem ingenii, corpore, Fronto, luam.
Nec mora : conveniunt validis utrinque lacertis.
Italicam medicus colligit inde luem.
Corpore qui pro opera voluit vir spurcus abuti
An non mercedem quam mereatur habet ? » [2].

Nonne hic est merus Apologus, Fabula vera, quam tamen magis admirer si mores castos castioribus verbis admoneret ?.

Sæpius enim Pasquierius res impudicas impuris nominibus significat, quoniam et Latini veteres et Galli majores crudam obscenitatem non respuebant. Cujus licentiæ, seu res inverecundo exprimuntur, seu ambigue ac perplexe, exemplum afferam nullum, pudoris causa. Sunt enim joci multi quos novus noster non toleraret pudor, quos igitur silentio prætermittere satius puto [3].

Summatim Pasquierius, quandiu vixit, seu feminis blanditus est, seu maledixit, circa feminas fuit occupatus, qui muliebre genus plus quam mulierem unam vel aliam dilexit, et ut omnia uno verbo dicam *amorem amavit* :

« ... Stultitiæ profert stigmata quisque suæ :
Hos vel honoris amor, vel amor male torqueat auri,
Dum me possideat semper *amoris amor*.
Non labor, aut ætas studio me abjunxerit isto,
Hæc voti, hæc vitæ clausula summa meæ ». [4]

---

[1] Ep. III, 78, in nebulonem. — Cf. VII, 35.

[2] Ep. V, 111, in Frontonem medicum.

[3] Ep. II, 24 ; III, 13, 26; IV, 31, 45; V, 50; VII, 133, etc.

[4] Ep. III, 65.

§ *III. — De mordacibus Epigrammatibus.*

Dum ab amatoriis epigrammatibus ad «*satirica*» poematia festino, hac utar transitione (qualiscumque est) quam mihi ultro præbere videtur noster :

« Non ego sum, fateor, tenerorum scriptor amorum....
... Sed nec ego, Antoni, Satyrarum scriptor acerbus....
Vix etiam a Satira possunt Epigrammata abesse :
Sunt sine, ni mordent, carmina nostra sale.
Atque adeo satiræ facili mihi lege colentur,
Dum tamen in Satiris sit Vénus ulla meis. » [1]

Quæ verba, a sensu parce detorta, significant Pasquierium, ut longe Catulli vestigia secutum, sic Persium et Juvenalem moderate esse æmulatum.

Nemo enim longius a satiricorum natura abhorruit, quam qui omni amaritudine, bili, vel superbia caruit. Pravos quidem hominum mores notat, non autem indignatur ; prave facta, prave dicta, sanus homo et sapidus deridet, festive potius quam acerbe. Montanii amicus acutam, benignam indulgentiam profitetur quando insita humanæ naturæ vitia animadvertit ac ludit. Censet et ipse Pasquierius satius esse mala nostra ridere quam si eis, vi nimia, effectu nullo, succenseas.

Negat id primum, se unquam privato homini vel feminæ maledixisse : « Aliorum vitia non agnovi, et si agnoverim, ignovi, ut qui nominibus pepercerim ». [2]

« Quis mihi sit Sextus, Marcus, Theobaldus, et Aulus,
Maximus et Paulus, Galla, Marinus, Ado,
Quidve Sabina mihi, quis Curio, Fervidus, Aruns,
Ne quæras, verum nomina ficta putes.
Parcere nominibus fuit hoc solemne poetis
Dum sibi quod libuit carpere posse putant.
Quid si criminibus dum non indulgeo pecco,
Inque meo forsan carmine crimen inest ?
Qui vitiis male vult, homines odisse necesse est,
Et vitium est, vitio parcere nolle tuo.
Nominibus tamen est aliorum parcere certum,
Et parcam, populus parcat ut inde mihi ;
Atque hæc ex nostro referetur gratia versu
Parcat ut et cunctis, omnia carpat item ». [3]

---

[1] Ep. I, 69.

[2] Epistola ad Christ. Thuanum, t. I, pp. 1126-1127.

[3] Epigr. III, 70. Ad. Cl. Rebursium medicum.

Alias et, questus quod amicis etiam in suspicionem mordacitatis venerit [1], festiviores versiculos pœne devovet :

« Te si, perlepide Hennequine, viso,
Mearum locuples ineptiarum
Censor, clam mihi mussitas in illis
Esse nescio quid quod huic et illi,
Veris nominibus quadrare possit,
Mutato quasi nomine annotarim
Multa, quæ tacite putes notanda.
Has fingis tibi somniationes
Quas audit trepide innocens amicus.
Vah ! scripsisse piget jocos inaneis
Ansam cum dederint pio proboque
Nunc me, nunc alios calumniandi ! » [2].

Revera communes hominum mores, ordinum errores ac vitia, non singulorum plerumque describit, ita tamen ut perspicuum sit pictorem viva rerum exemplaria ante oculos habuisse.

Pars fuit satiricæ poeseos — qualem esse sibi fingebant temporis illius poetæ, [3] — pars fere præcipua generis hujusce, — quæ ad vivum exprimendos mores hominum, quotidianæ vitæ quasi scenas, rerumque, ut ita dicam, *graphicas partes pingendas* sibi proponebat. Qua artis parte aliquid valuisset Pasquierius, credo, si sæpius ad hoc opus sese accinxisset.

Unam, sed non invenustam, hujusce generis narratiunculam producam, utpote quæ ironia simul ac philosophia quadam respersa sit :

« Funera Parisiis omnem confecta per urbem,
    Vidi ego millenis nobilitata modis.
Hic et Presbyterûm chorus, hic Monachûmque præibat
    Flecteret ut precibus numina sancta piis.
Pullati centum gestabant ordine tædas
    Mendici multo lumine conspicuas.
Pauperies clerusque Deo gratissima res est
    Dummodo funeribus cætera turba quadret.
Pullati totidem famuli, dominique Ministri,
    Quisque suum varie sustinuere locum.
Mox et equi, et phaleræ; mox bellica signa feruntur,
    Stemmataque ampla domus atque Magisterii.

---

[1] Cf. Feugère, p. 129. «....... les lecteurs joignaient volontiers, par une disposition commune à l'égard des œuvres de cette nature, « leurs propres imaginations à celles de l'auteur ». (Lettre inédite de P., du 24 mars 1582).

[2] Epigr. VI, 77. Ad Ren. Hennequinum.

[3] V. Du Bellay : « Deffence et Illustration », liv. II, ch. IV. — Ronsard : « Abbrégé de l'Art Poétique françois » (Ed. Elzévir, t. VII, pp. 317-318). — Vauquelin de la Fresnaye. — Régnier, Disc. au Roy.

Inde cadaver, et id procerum stipante corona,
    Post hoc, ampla viri mascula progenies.
Tandem alii variis ex ordinibusque vocati
    Procedunt, longo ut corpus honore colant.
— Ecce autem post tam clarum celebremque triumphum
    Sors sic elusit funeris exsequias:
Stercoribus siquidem rhedam fimoque refertam
    Vidimus, heu casu, tanta trophæa sequi.
Fortunæ o specimen, mira et solertia, quæ nos
    Ut fimum, sic hæc funera vana docet. » [1]

Quandoque inter Epigrammata fabellam inserit Paschasius, aut comediæ quasi particulam, quæ concinna brevitate, aut sapida ingenuitate non displicent. Sic juvenem nequam in scenam inducit :

« Quidquid consilio, quidquid præstatur et arte,
    Doctrina, monitis, sumptibus, ingenio,
Praestitit hanc operam nato pia cura parentis...
... Sed pater ut moritur, corpus cum crevit et ætas,
    Libertasque animo serpsit amœna suo,
Dissipat, effundit, consumit et omnia perdit,
    Nec quidquam videas hoc miserabilius.
Omnibus exhaustis, nunc has petit ille tabernas,
    Nunc illas, victum quo sibi quaerat inops... » [2]

Res sane desideres expresse magis descriptas et ad veros temporis mores magis accommodatas, fateor ; sed qualiscumque est, ea nebulonis, adumbratio ad exterrendos a luxu nepotes valet, si valet quidquam.

Antepono tamen fabulam hanc *de Patrono et Ruricola*, in qua natura et mores hominum non læve depinguntur :

« Suas Gallia dum gemit ruinas,
Acri vectus equo insidebat Ollus,
Magnus ille fori Lutetiani
Patronus, variis potens rapinis ;
Et quum se facili viæ dedisset
Ecce ruricolam videt canentem.
Quid hoc vult sibi ? sciscitatur Ollus,
Ut inter patriæ suæ tumultus
Ac strages canat unus hic egenus ?
Ad quem sic comes : Illud est poetæ :
Cantabit vacuus coram Latrone viator. » [3]

---

[1] Ep. VII, 77.

[2] Ep. III, 21. In Perillum.

[3] Ep. I, 30. In Ollum (Ed. Petit-Pas, p. 19).

Singulos hominum ordines, quos tamen satiricos poetas increpare usitatum erat, festivioribus facetiis quam contumeliis acerbioribus Pasquierius præstringit.

Publicanos certe, pestem reipublicæ adactam, bonus civis oderat. Illos obliquo ictu ac per ironiam petit quando miratur, vel mirari se fingit, unum ex illis exstitisse qui famam probi viri affectare sustinuerit :

« Fisci præficeris rationibus, atque videri,
Vis probus. O quantam, Dindyme, rem facies ! »[1]

Astrologos, Chiromanciæ deditos, fatidicos omnis generis, contra opinionem æqualium contemnit, eorumque simulatam artem libere irridet[2]. Semel arcanæ sententiæ vatis cujusdam se credere mentitur, quo melius istud hominum genus ludificetur :

« Dixerat astrologus Paulo succedere cuncta,
Ex voto, et vere dixerat astrologus :
Deperit astrologi uxorem Paulus, subigatne
Nescio, sed scio quid dixerit Astrologus. »[3]

Ludimagistris fere parcit Pasquierius, quos alii scriptores ejusdem sæculi, nec immerito, acerbis contumeliis mulctaverunt : satis habuit eos facete Regibus comparare, eorum supercilium, asperitatem, arrogantiam amœna pictura referre :

« ..... Sublimi solio sceptrum gestatis, et omni
Pro nutu populo Regia jura datis...
... Is sedet in cathedra, castigatorque juventæ
Verbera pro sceptro gestat acerba manu.
.... Quin o magnifici palmam concedite Reges.
Illum nescio quod grandius ornat opus :
Qui regit atque docet dictatque beatulus, ille est
Rex et dictator grammaticusque simul ! »[4]

Clericos et *Monachos* hinc inde petit Pasquierius, religiosus homo ac fidei christianæ deditus, non ita tamen ut sua ei pietas Ecclesiæ vitia celaret, mentis libertatem tolleret et antiquitus a Gallicis poetis usitatum facetiarum fontem occluderet. Nonne lepide pingit ambitiosum clericum qui non amissum amicum luget, sed amissum Episcopatum ?

« Is quem forte vides Mariæ in æde,
Quem vides media Patrum corona

---

1 Ep. V, 22. In Dindymum.
2 Ep. V, 44. Chiromancia.
3 Ep. V, 35. De Paulo.
4 Ep. V, 70. De ludimagistris.

Suo dicere næniam sodali,
Hujus ambierat pecuniosi
Felicem reditus Episcopatum ;
Sed a Principe passus est repulsam.
Huncne flere putas Episcopum illum ?
Nusquam. Quid dolet ergo ? Episcopatum » [1].

Monachorum cautam ambitionem et simulatam modestiam notat :

« Brixius e vita nuper decesserat abbas,
Alter et exstincto sufficiendus erat.
Ne te sufficiant Monachi dum quæris et ambis,
Ut te sufficiant, Cassiodore, petis » [2].

In Epigrammatum libro VII, Pasquierius jam annosus, necdum tamen ætate confectus, Jesuitas quosdam, Lud. Richeomum [3] et Carol. Scribanium [4] gravioribus dicteriis quam lepidioribus vellicat, quæ silentio involvere satius puto. Quid enim nos nosse juvat Scribanii nomen Scribasini [5] nomine esse commutatum ? Nihil Paschasii famæ addunt istius modi inficetæ facetiæ ; imo aliquid detraherent, si non omnibus compertum esset menda ista et vitia non hominis esse, sed temporis.

Medicos et medicorum artem ludibrio sæpius habuit noster. Medicinam sanus, ut multi, parvi faciebat [6] ; ad medicos æger confugiebat [7]. Qui medentium genus molestissimum ac perridiculum æstimavit, idem [8] tamen medentibus quibusdam, ut Rebursio [9], medico simul ac poeta, et Simone Petræo [10], familiarissime usus est. Medicorum mores, arrogantiam, avaritiam, errores, contentiones

---

[1] Ep. I, 40. In Quintum. — Cf. Ep. VII, 34. « Verbo pascis oves, re, Theopompe, lupas ».

[2] Ep. VI, 35. Ad Cassiodorum monachum (Ed. Petit-Pas, p. 183).

[3] Ep. VII, 68 et 69.

[4] Ep. VII, 70 ad 75.

[5] Ep. VII, 73. Duo Epigrammata refert P. Garasse quæ Pasquierius contra Jesuitas scripsisset. (V. Rech. des Rech. Liv. III, section 20). Ea absunt ab Editionibus. — De Jesuitis lege Epist. quæ furtim Epist. 12, lib. XXII, subjuncta est.

[6] Vid. Epist. XXII, 12 : Cum medico suo de medicinæ arte disputat Pasquierius, nec magnam fidem scientiæ illi adhibere videtur. — Cf. Epistol. XIX, 16.

[7] Epigr. II, 40.

[8] Ep. II, 105 (Ed. Petit-Pas, p. 71) et passim.

[9] IV, 56.

[10] III, 67. — Sim. Petraeo medico usum esse se profitetur Pasquierius, qui amico rursus patrocinium præbuit.

describere in deliciis habebat, quam uberrimam jocandi segetem Rabelæsius Molierio fere integram transmisit, Molierius autem nobis.

Semel, ut opinor, perpetuis medicorum certaminibus ac jurgiis interfuit, non ut Paracelsi partes adversus Galeni factionem foveret, sed (quod potius est) ut medicinam novam, etsi audacior fuit, contra tralaticium ac inveteratum medendi usum tueretur :

« Dicitur esse novus vobis Paracelsus, ob idque
Crimen in obscurum pellitur exilium.
At novus Hippocrates, novus et Chrysippus, ut ille
Romæ Asclepiades, tempore quisque suo.
Qui nova damnatis, veteres damnetis oportet,
Aut ista nihil est in novitate novi ». [1]

Usitatis et jam tritis in medicos facetiis plerumque utitur Pasquierius. Nunc fingit se Calliodoro medico uti nolle quem antea adolescentem amaverat, omni cura foverat, sciscitantique quam ob causam longe a medico abhorreat, respondere :

« Consuluisse tibi tunc temporis ipse volebam ;
Nunc volo, si quæris, consuluisse mihi ». [2]

Hic medicum inducit, justitiæ ac judicum arrogantem contemptorem, quem ita increpat :

« ... Credo, nam medicus tot jam qui sustulit olim,
Debuerat plecti morte vel exilio ». [3]

Alias et fingit se Marlii cujusdam, qui medicum interfecerat, causam his verbis egisse :

« Quod faustum felixque, Patres, commendo clientem
Quem non mors, verum præmia digna manent.
Procuravit enim populo patriæque salutem,
Unius medici Marlius interitu ». [4]

Maligniori illi joco hoc distichon, subtile magis et argutum, longe antepono :

« Gratuitas operas mihi qui promittitis aegro,
Parcite : non tanti est aeger ut esse velim ». [5]

---

[1] Ep. V, 66. Ad medicos, de Theoph. Paracelso. Ex epistola quadam (lib. XXII epist. 4. Ad Ant. Loysellum, t. II, p. 664) apparet P. epigramma istud, ex tempore factum, in Oratione pro Paracelsistis contra medicos Facultatis inseruisse.

[2] Ep. II, 20. Ad Calliodorum.

[3] Ep. I, 35. In Magdaleum medicum.

[4] Ep. IV, 20. De Marlio.

[5] Ep. I, 50. Ad Medicos.

Avaritiam medicorum necnon et ægrotantium sordidam parcimoniam duobus Epigrammatibus reprehendit Pasquierius quæ inter gratiora ponam. Frontoni medico quomodo sua male verterit avaritia jam supra vidimus [1]. Magis casta est quæ ad parciores ægros spectat fabula :

« Jusserat ægrota ut medicamen sumeret Olla
  Contius ; ejus fit potio consilio.
Pharmacopola moras verum dum nectit inanes,
  Convaluit solo numinis auxilio.
Empta autem sibi ne frustra medicina periret,
  Sorbuit hanc sano corpore, et interiit.
Ollæ nil melius successit morte, nisi quod
  Hac pereunte perit et medicina simul ». [2]

Multa alia sunt de Medicis epigrammata quæ reticebo [3]. Unum tamen excerpam e numero, quia hinc Molierium refert, inde ad nefandam illam Calvinistarum stragem spectat. Agitur de medico quodam qui et privatis et publicis morbis pariter, effuso cruore, consulit :

« .....Non ulla est medicina tibi quam sectio venæ :
  Hic modus, hæc morbis una medela tuis.
Si quid forte etiam patitur res publica damni,
  Non aliter sarcis, Maxime, quam gladio.
Omnia consiliis agitas volvisque cruentis,
  Et tibi si qua salus, sanguinolenta salus.
Vis tibi, vis nobis summam instaurare salutem,
  Vis itidem patriæ ? fac tibi quod Seneca ». [4]

Ut de medicis concludam et pergam ad judices transitum ultro offert Pasquierius versiculis hisce :

« Aspice seu Medici, seu vanas Rhetoris artes,
  Scævola, multa quibus consimilentur, habent.....
....Multos quotidie [5] Medicorum turba trucidat,
  Perdidit et multos altera turba reos ». [6]

Causidicos, Judices et ceteram forensem gentem, quo melius noscit eo pejus multat.

---

[1] Vide supra pag. 25.

[2] V, 20, in Ollam.

[3] Cf. Ep. I, 23, II, 20, etc.

[4] Cf. Ep. I, 25. Ad Maximum. — Vid. Epistol. 11, libri XIX, unde constat hoc epigrammate et Cancellarium Birague, et medicum ejus, Boutal nomine, peti.

[5] Qūotĭdĭē pro qŭotīdĭē.

[6] III, 23. Ad Scævolam Sammarthanum.

Res ipsas, non homines, quæ ad justitiam spectant, levi quidem censura, ut in tam levi opere, reprehendit. Incertas esse hominum leges, dubium et instabile jus ipsum, aliquando agnovit, homo tamen juri deditus :

> « Solus in incerto jure vagatur homo ». [1]

Libere respuit romanum jus, potiusve inextricabiles commentatorum ambages, nec dubitat romanis legibus leges patrias anteponere :

> « ..... Ergo tu quum sic statuas ego, Bartole, leges
> Romanas tollam, patria jura colam ». [2]

Admiratur *clericos* judices de litibus quæ ad matrimonium spectant cognoscere, *civicos* autem judices de Sacerdotalis tituli possessione statuere : quæ certe præpostera res est [3]. Sunt quædam reddendæ justitiæ vitia seu tempori illi propria, seu temporum omnium, quæ Pasquierius multa cum libertate aperit ac reprehendit. Venales esse publicos honores, venalia præsertim judicum munera stomachatur [4], quæ, præ ira, « *mancipia togata* » appellat, quem usum « *fœdam dignitatum nundinationem* [5] » indignabundus nuncupat. — Queritur et sumptuosas sæpius et damnosas lites litigantibus esse. Furtum passus, furem tuum condemnavisti ; quid tamen profecisti, si judex plus exigit quam fur surripuerat ?

> « ... Restitui argentum, certa sed lege, jubetur,
> Et longe furto deteriore mihi,
> Judicis impensis deductis : ut meliore
> Quam judex esset conditione reus.
> Nam qui judicio reddi mihi mille putabam,
> Exhaustis primis, altera mille dedi.
> In jus o iterum, judex veterator, eamus :
> Mille ego perdideram, millia bina rapis ». [6]

Patroni qua valeant, qua deficiant optime novit Pasquierius, ut pote qui tot annos patrocinium in foro parisiensi exercuerit. Causidicorum generi propria insunt vitia, errores, ridicula, quæ ingenua quadam malignitate corripit ; dignitas autem sua ordini illi inest quam tuetur ac veretur noster.

Simpliciter ridet patronos qui carent clientibus [7]; sed et se ipse

---

[1] Ep. IV, 7. De Jure.
[2] Ep. V, 85. De Jure civili romanorum. — Cf. V, 11.
[3] Ep. IV, 62. Ad Martinum Menartum.
[4] Ep. III, 19; III, 84. — Cf. Ep. I, 5 et 6.
[5] Ep. III, 19.
[6] Ep. II, 44 In Judicem. — Cf V, 76.
[7] Ep. III, 93. — Cf IV, 54.

irridet dum fingit se carius conducere posticas ædes a celebri patrono,

« ... Limite quo possim clarior esse tuo,
Vicinumque velit magni sub nominis umbra
Me tecum creber consuluisse cliens... ». [1]

Collegæ etiam nescio cui illudit [2] qui febre laborat quotiescumque suam laborare causam suspicatur; acrius impugnat eum qui verba non dat clienti, sed vendit [3], aut clientem pecunia sua omnino nudat [4]; vehementer in illum invehitur qui causam malis artibus vincere mavult quam perdere [5].

Postquam vero sordes ordinis sui non timide aperuit Pasquierius, si quid honestum ac ingenuum patrocinio inest, id eadem libertate profitetur. Artem enim suam amat ac reveretur [6]. Irritum certe conqueritur laborem advocati, nec meritis satis respondere, nam sæpius justo cliens ingratus patronum solvere omittit:

« Arnus nuper adit novus cliens me
Ut patrocinium suum subirem.
Suscepi, fateor, lubens volensque:
At nil obtulit Arnus advocato, etc... » [7].

Munus hoc causas orandi omnes horas occupat, omnia oblectamenta vitæ detrahit; mentem autem erigit benefaciendi conscientia, idque sibi proprium habet quod tantum suscipere onus non omnibus datur:

« Quod mihi, quod genio necquidquam indulgeo nostro,
Nec datur ingenuis semi vel hora jocis,
At me possideat cupidi tutela clientis,
Ille cliens voti meta caputque mei,
Adscriptum glebæ misero me sidere dicis:
O quantum velles sic miser esse, Matho! » [8]

Quid rei est? Censet nempe Pasquierius bonum advocatum,

---

[1] Ep. II, 11. Ad Flaccum.
[2] Ep. V, 4.
[3] Ep. I, 67.
[4] Ep. III, 85. In Aulum.
[5] Ep. III, 77. In Aulum advocatum.
[6] Cf. Lettres, IX, 6 à Théodore Pasquier « .... de quelle façon doit estre le Bon Avocat ».
[7] Epigr. I, 33. De Arno.
[8] Ep. II, 67. Ad Mathonem. — Cf. II, 22.

etiamsi nummum abstulerit nullum, amplam tamen operæ mercedem tulisse si causam apte et scite oraverit :

« Oravit binis pro te, Philopatre, diebus
Flaccus, et ex voto est causa peracta tibi,
At patrocinium nulla mercede rependis.
Imo mercedis plus satis ipse tulit :
Patrono quamvis numeres nil, attamen amplam
Mercedis segetem, qui bene dixit, habet. »[1]

Ministerium adeo diligit Pasquierius, atque animo ita liberali est, ut collegam quocum acerrime certaverat, *Versorium* dico, admiretur et magnifice laudet, nec longe absit ut glorietur tantum hominem sacrosancto patrocinii muneri decus quoddam addidisse :

« Cui pectus natura dedit, cui corpus obesum,
Mireris quanto polleat eloquio.
Corpus ut ingenuo sic mens est corpore digna,
Nec mens mole capi tanta minore potest. »[2]

In *judices* advocati animo non benevolo esse solent. Ne morem negligat Pasquierius judices hinc inde corripit, leviter tamen nec contumaciter, quippe qui justitiæ ministros integros magis quam improbos optarit. Judicem hunc[3] ridet qui de se bene existimans jactat se unum plus scriptis legibus, plus jurisconsultis omnibus valere. Illum cavillatur qui, ubi cum collega sedet, stertere non desinit, si vere solus, optime jus reddit[4]. Sin autem obvium habet tuendæ justitiæ præpositum qui venalem justitiam facit, stomachatur statim noster nec contumeliis temperat :

« Sit dives pauperque cliens, inimicus, amicus,
Hospes, vicinus, nobilis, aut opifex,
Patronus, medicus, miles, mercator, eadem
Lance manuque solet Persius accipere......
....Qui personarum rationem non habet, hicne
Corrupti partes judicis exsequitur ? »[5]

Integri judicis speciem et formam non semel adumbravit Pasquierius, quo in orbe terrarum rarius nil et sanctius esse putat. Illum

---

[1] Ep. V, 54. Ad Philopatrum.

[2] Ep. III, 75. — Cf. Rech. de la France, lib. III, cap. 44. (p. 327 B) ubi de eodem Versorio dicit Pasquierius « ..... grandement zélateur du bien public, singulièrement ès choses qui concernent la religion catholique ». Cf. de Patronis alia nonnulla epigrammata, V, 6 ; I, 49.

Ep. III, 81. In Ponticum.

Ep. VII, 38. Ad Felinum Judicem.

V. 76. In Persium Judicem. — Opp. Epigr. V, 72. De judice qui oblata munera respuerat.

his verbis fere pinxit, dum pingit Ach. Hospitalem, Michäelis filium :

« Quod nullam Judex sectaris Principis aulam,
Integer et vitæ, propositique tenax,
Et rigidus justi custos, pietatis, honesti,
Temporibusque istis non potes esse malus :
Hæc superis primo, tum debes omnia patri
Quem tu Justitia, quem Pietate refers ». [1]

In *Aulicos* quod acerbissima Pasquierius dicteria vibraverit, nil mirum, si modo reputaveris qualis fuerit Valesiorum regum aula, qui mores principum, quæ aulicorum artes. Jamdudum autem integræ stirpis cives, judices præsertim veteris prosapiæ, suspectos atque invisos habebant nobiles illos, patrii fundi desertores, perpetuos principis asseclas, peregrinos imprimis aulicos, qui omnes populi sanguine saginabantur, regemque a populo suo sejungebant. Quanquam igitur, ob modestiam ac prudentiam, bilem omnem non effuderit et de singulis hominibus vel rebus ex industria asperioribus contumeliis abstinuerit, tamen astute ac callida ironia usus, aulam, locum deterrimum, aulicos pessimum genus notat.

Quid enim est magnos sectari nisi se neminem esse profiteri ?

« Quod sequeris reges, magnus tibi, Paule, videris :
Qui magnos sequitur, Paule, pusillus homo est » [2].

Consultantem quemdam a colenda aula libere deterret :

« Aulam habita, paucis aula colenda tamen ». [3]

Solertis enim est hominis suspecta habere bona a regibus temere concessa, quæ nihil plerumque proficiunt. Exemplo est Aulus Spurius ille, homo ignobili loco ortus, qui a principe divitiis cumulatus tantam ferre fortunam nequivit :

« ... Divitias ergo consumit Apicius alter
Aulus et in cineres omnia vertit inops... [4] ».

— Canum sunt plura genera, quorum deterrimum certe est aulicus canis :

« Canem sidereum, canem marinum,
Terrenum metuo canem, infernumque ;
Et cum tot timeam canes, at unus
Aulicus magis est canis timendus [5] ».

---

[1] Ep. III, 2. — Laudes fere easdem dat Christoph. Thuano, Ep. I, 48.
[2] III, 43. Ad Paulum.
[3] I, 60. Ad Macrum. — Cf. III, 50. Ad Lodoïcum Regium.
[4] Ep. III, 9, in Aulum Spurium.
[5] VII, 106, in Aulicum.

— Gaudet noster referens Calvo cuidam promisisse Astrologum fore ut ad summum emergeret locum, quem revera sua spes non fefellit, quippe ille fortunæ filius

« .... pascit aves in cruce magnus homo.
I modo sideribus ne credas ! An potuit fors
Sublimi magis hunc constituisse loco ? » [1]

— Quantopere autem contemnat aulicos nusquam clarius patefecit Pasquierius quam ubi, per ironiam, demiratur ac stupet in aula unum exsistere aulicum qui sit et vir probus et moribus integer. O rem prodigiosam ac vix credibilem !

« Insignem pietate virum te Gallia credit
Qualem viderunt secula nulla prius ;
Prædicat hæc eadem civem fortemque piumque.....
.... Tu tamen aulicus es, nec desinis aulicus esse.
Qui potes esse senex aulicus atque probus ?
Fallor, nam justum credi et canescere in aula,
Majorem hoc omni te facit esse fide » [2]

Subtile certe Pasquierio ingenium fuit et ad vitia aut hominum aut temporis notanda aptum, quod et indignatione interdum, plerumque acutiore judicio valeret. In satira adeo profecit, ut mentis suæ subtilitatem exhiberet, poetæ munere fungeretur, sanam rationem ac mores sanos vindicaret, nec non et animi probi spectabilem simplicitatem et modestiam omnibus approbaret.

§ *IV. — De epigrammatibus quae ad* **Res publicas** *pertinent.*

De rebus publicis Paschasius, quanquam felle caret, nec vera semper animi sensa audacter explicat, multa tamen hinc inde instillat quæ non longe a satira distant, et civem bono publico intentum, novis rebus ac turbulentis hominibus infensum indicant.

De rebus, aut omnino reticet, aut communia plerumque dicit. Nec mirum, quum scimus Pasquierium aliis in operibus quid de republica censeret expressisse, et latinis versibus potissimum studuisse ut animum a circumsonantibus procellis avocaret. Quidquid est, desiderandum certe est hominem qui tot et tantis casibus proxime adfuerit, si non interfuerit, quasi ex proposito res magnas silentio prætermisisse, aut incerta interdum, vel fucata prodidisse.

Pauca epigrammata de præsentibus factis colligemus, quæ messis

[1] Ep. II, 85 De Calvo (Ed. Petit-Pas, p. 66).

[2] Ep. I, 43. Ad Corlerium.

exigua erit. Nescio an in hunc numerum referre debuerim poematium « *de Belnœo* » [1], quoniam injustum argentarii regii illius supplicium ad regnum Francisci I referendum est. Ponam tamen quia versus Paschasii indignatiunculam quamdam spirant, qua non omnino indigni sunt qui cum celeberrimis Clementis Maroti versibus comparentur :

« Quem, Francisce, patrem juvenis Rex magne, vocabas
(Tanta seni gravitas et pudor in juvene),
Judicio patrum, ampli decretoque Senatus,
Pendulus obtorto gutture pascit aves.
Atque ut morte, bonis mulctatur filius hæres :
Haud aliter princeps debuit esse patris. » [2]

Quanquam illud epigramma, (quoad intelligo) sub finem plus justo jurisprudentis subtilitatem redolet, aliquam tamen libertatem in poeta præsumit.

Justo supplicio mulctatus est, multos post annos, *Bironius*, regnante Henrico IV. Ducis hujus necem, quanquam certe regis ac patriæ proditorem manifestum abominaretur, æquo animo scribere non potuitPasquierius, utpote impar continendæ erga hominis constantiam admirationi :

«.... Vinciri laqueo non tulit ille manus :
Fœdum et carnificis contactum respuit ; at non
Distulit atroci strenuus ense mori,
Supposuitque caput gladio ; sic liber obivit :
Non potuit tantum mors superare ducem. » [3]

In ceteris poematiis [4] quæ scripsit de hodiernis eventis vel hominibus, nil fere certum, nil distinctum reperias, sed aut intempestivas nugas [5] aut vacuas frigidasque laudes.

Pasquierium opinor consulto atrocia tempora silentio quasi obruisse, res relatu turpiores tacuisse. Materiam sane ditissimam ad manum habebat narrandi, indignandi, dolendi, quam consilio amovit et omisit, videlicet ne memoriam rerum acerbiorum

---

[1] Jacques de Beaune, vulgo Semblançay.

[2] Ep. III, 24, « de Belnæo », in edit. quæ anno 1618 data est. Idem Epigr., mutato nomine, in edit. in-f°, 1723, libro III, 24, quærendum est « De Calvo ».

[3] Ep. VII, 60. Est alterum ejusdem Epitaphium in Epistola 11 libri XIX. Cf. Lettres, XVII, 4 et 5.

[4] Vide Ep. IV, 5; VII, 25, 30, 31.

[5] Utpote « de Jos. Molaeo moriente ». Ep. III, 90.

promoveret, ne opus suum abominandis dictis funestaret, neu a proposito egrederetur [1]. Quo melius probem Pasquierium destinato res dictu tristes aut turpes submovisse, exemplum afferam. Anno MDXCIV, post traditam Henrico regi Lutetiam, Urbem suam revisit noster, quam sex annos reliquerat, reditumque versibus celebrat. Mentio tamen nulla de fuga sua aut de exilio, nulla de uxoris periculis, nulla fere de tot admissis a plebe turbulenta sceleribus; vix etiam hominis ac boni civis lætitiam deprehendas in hoc epigrammate :

« Post varios casus belli civilis et ignes
    Qui migrare mea me voluere domo,
Tandem ad te redeo, mea cara Lutetia : quid si
    Caram animi volui dicere Lætitiam.
Tu mihi nunc portus, placidæ requiesque senectæ,
    Dummodo sis patriæ Regia cura tuæ [2] ».

Quid de republica sentiret, quid pravi in ea castigandum, quid boni optandum, abunde Pasquierius in aliis operibus [3] prodidit, parcius quidem, sed aperte in carminibus nonnullis.

Civem eum globo illi optimorum civium annumerandum puto qui turbulentissimis temporibus æquanimitate ac juris reverentia enituerunt, qui tot ac tam malis libidinibus inflammatis constantia simul et moderatione animi valuere, flos ac robur gallicæ gentis, qui, patriæ decus, mox et patriæ salus fuere. In hac optimorum civium corona, vel si vis, familia, inter tot insignes magistratus, tot patriæ deditos cives, qui Henricum, Navarraeum principem, virum agnovere fato natum ad compescendas inimicitias, ad conciliandos omnium animos, qui denique civilibus furoribus et religiosis simultatibus, per illam *Menippeam* satiram finem jocando imposuere, non mediocrem, ni fallor, obtinet Pasquierius locum.

---

[1] Cf. Epistolam ad P. Pithaeum libello præscriptam qui inscribitur : « *Poésies diverses selon la diversité des temps* » (t. II, p. 911): « Je me veux chatouiller pour rire, malgré la malice du temps et de mon aage, et en ce faisant, bannir le chagrin au moins mal qu'il me sera possible, et me resjouir sans pécher ». De Tours, le X[me] janvier 1592.

[2] Epigr. VII, 13. Ad Lutetiam Parisiorum. — Natalem tamen urbem valde diligebat ut apparet ex Epistol. 9, Lib. II — Lege et apud « *Sonnets divers selon la diversité du temps* » (t. II, p. 923) poematium cui titulus : « *Retour de Pasquier en sa maison.* »

[3] V. « Pourparler du Prince ».—«Exhortation aux Princes» 1561.—«Recherches de la France », passim.— « Congratulation de la Paix ». 1570 (t. II, pp. 913-920).— Cf. L. Feugère, pp. 60, sq.

Haud sane in animo est totam regendæ reipublicæ rationem, qualis Pasquierio esse potuit, ex aliquot poematiis exprimere, quod ut infinitum, ita absurdum sit. Id demum mihi proposui ut, allatis exemplis, præcipuos Pasquierii de publicis rebus, de patria sua, de Religione, Rege, Lege opiniones et sensus breviter memorarem.

Patriam certe ardenter adamabat, qui magnam ætatis partem disquirendis Galliæ antiquitatibus insumpsit, qui Gallis laudes omnis generis avido studio magis arripuit quam circumspecto judicio vindicavit, qui longam operam publico contulit, multas ærumnas pro publica utilitate, querimonia nulla, perpessus est. Mos non fuit hominibus illius temporis suum patriæ amorem venditare ut lucrum facerent aut ad majores proveherentur dignitates. Itaque Pasquierius, quantopere Galliam diligeret, paucis tantum versiculis significavit, non grandioribus sententiis et circulatoria eloquentia. Exemplo sit hoc Epigramma quo dolet et indignatur majorum mores morum Italicorum contagione esse corruptos, vel commutatos :

« Credulos memini fuisse Gallos,
Crudeles memini fuisse nunquam ;
Fortes, Jupiter, atque bellicosos,
Disertos quoque, strenuos, alacres,
Addictosque Diis sacrisque vòtos,
Rebus atque adeo novis studentes
Dum nolunt gravius jugum subire.
Sed postquam miseri hausimus lupinos
Mores quos docuit Latinus hospes.....
.....Militem induimus Trasinianum,
Loquenteis nimium nec eloquenteis,
Exleges, tumidi, impii, nefandi.
Rebus quinetiam novis studemus,
Non ut aere libero fruamur,
Verum mancipia apta servituti,
Dura in nos onera invenimus ipsi..... » [1].

Inter nova vitia et alienigenas pestes istam præsertim *religiosæ discordiæ* luem magna libertate corripit. Etsi fidem christianam profitetur et Catholicæ Ecclesiæ filius omnino devotus est, pari odio prosequitur, utra ex parte veniant, sive a Calvinistis, sive a Catholicis, furores istos atroces, impios, quibus et Regnum pessumdatur, et ipsa proculcatur Religio. Loci complures sunt quibus bella nomine religionis incepta, privatis sæpe utilitalibus, vel privatorum simultatibus continuata, acerrime incusat ac detestatur. Unum

---

[1] Epigr. I. 21, Ad Valerianum. — Cf. H. Estienne, Agrippa d'Aubigné, etc.

producam Egigramma [1] quo optime exprimitur ille, mixtus indignatione, boni civis dolor :

« Exturbet patrios armata licentia cives,
Fanorumque manus dira profanet opes,
Depopuleris agrum quem Gallia sulcat opimum,
Et temeres castæ claustra pudicitiæ,
Cuncta dolo technisque geras et fraude cruenta,
Denique quidquid agas hoc licuisse putes :
Jure facis tu si pro Relligione capessis
Bella, tibique sacer suggerit arma furor.
Jure facis sive has partes tueare vel illas,
Tanta tibi æternæ cura salutis inest !
Volvimus hæc animis miseri, miserique perimus,
Cum memores animæ non periisse pudet.
O diros mores, o effera tempora ! sicne
Relligio est nulla Relligione capi ! » [2]

Reges Pasquierius divinitus institutos censet qui, nullo discrimine, simul et Deum colant et populo consulant, quippe si suos beatos effecerint, et Deo statim placuerint. Nil aliud significant hæc morientis regis Francisci I ad filium Henricum verba, quæ modo suo interpretatur noster :

« ... Inprimis venerare Deum, carissime fili ;
Mox tibi sit populi cura suprema tui.
Dixit et occubuit. Duo ne præcepta putato :
In duo peccat, qui peccat in alterutrum » [3].

Reges admonere, vel etiam objurgare si quid deliquerint, Pasquierius haud dubitat. Libere asserit mores Regis valde ad publicum commodum conferre [4] ; sustinet et id affirmare, (quum maxime Principis libidines bono publico officerent) debere Regem privatam utilitatem universæ utilitati posthabere ne respublica ad ruinam vergat :

« ...Regnorum exitium quod exstat ergo ?
— Cum rex omnia sacra, sancta jura,
Privata utilitate metietur. » [5]

---

[1] Ep. IV, 80 : « Tumultus Gallici ». — Cf. I. 4. — Ep. IV, 49 : « Ad Galliam », quo impias civium neces, Sti Bartholomœi forsan, exsecrari videtur. — Lege et Nicol. Pasquierii, Epist. 10, lib. X (t. II, p. 1439).

[2] De malis quæ depravata peperit Religio Cf. Iconum lib. I, 60. « Julianus » « ..... Ista tibi peperit jurgia relligio ».

[3] Epigr. V, 18.

[4] Ep. I, 3.

[5] Ep. I. 10. « Certas esse rerum publicarum periodos ».

Eumdem regem, Henricum III, monet ut sævire abstineat in partem populi sui, si qua peccaverit, ut se ipse vincat, qua victoria regibus nulla honestior est:

« Quid miserum ferro populum, quid Marte furentem
Persequeris (Princeps non violande) tuum?
Peccavit, fateor; quis enim peccasse negabit
Quem vanæ obcæcat Relligionis amor?
Atque adeo sua cuique Deus est tam dira cupido,
Supplicium dignus qui patereretur erat.
Supplicio dignus, sinerent si fata : sed error
Hic tibi, quo melius concilietur, habet:
Vince animum quondam, Rex invictissime; disce
Cetera qui vincis, victor et esse tui.
Immo, tuos si non aliter quam sanguine vincis,
Sanguinis unius victor es ipse tui. » [1]

Si Reges bonorum morum et clementiæ admonere audet, haud magis dubitat et *populo* præcipui officii sui, quum erga deum, tum erga regem, memoriam renovare:

« Qui toties pacem votis precibusque rogatis,
Cum summo prius est pax ineunda Deo. » [2]

Pacem enim, non eam modo quæ res et corpora humana intacta ac vigentia esse sinit, invocat Pasquierius, diligit et suadet; sed et pacem illam quæ concordia ordinum, opinionum et voluntatum consensu, prisci moris observantia, veteris fidei cultu, legum etiam reverentia continetur. Ea est quæ sola populos beat, qua vigent publicae res.

Leges statutas ut qui maxime reveretur Pasquierius, [3] neque sane decuisset eum virum, qui observandis legibus vitam fere totam impenderat, contemptorem instituti ordinis evasisse. Leges tamen publicas ita respicit ut, et meliores ac probatas omni ope confirmare velit, obsoletas vero et morum commutatione jam commutatas in melius verti audacter exoptet. Res, ut opinor, manifeste apparet ex hoc « *De Lege* » Epigrammate quod, etsi intricatum satis ac

---

[1] Ep. IV, 81. — Cf. illud Epigramma quo reprehenditur Rex grammaticae intempestive studens:

« .... Declinare cupit, vere declinat, et ille
Rex bis qui fuerat, fit modo Grammaticus. »
(Lettres, XIX. 11, à A. Loysel).

[2] Ep. IV. 103. « Ad Gallos ».

[3] Ep. V, 46. « Novis rebus non studendum ».

verborum tinnitu corruptum, largam tamen mentem et vere liberalem Pasquierio voluntatem fuisse significat:

« Nil magis antiquum quondam dixere Latini,
Dicere cum vellent nil venerabilius.
Hoc ideo (incautum nisi me sententia verset)
Quod ratio mores invetereta probet.
Antiquare tamen dixit veneranda vetustas,
Tollere cui leges aut abolere fuit.
Scilicet ut populus sciret non omnia passim
Esse sequenda sibi quæ vetus ordo tulit.
Atque adeo nova sint nobis ut prisca colenda,
Si modo quæ nova sint de meliore nota.
Sic rebus servare modum est, si nec nova priscis,
Nec tu prisca novis deteriora putes.
Sic nobis melior Lex est quæ antiquior, atque
Sic antiquior est quæ meliora jubet. » [1]

Admiror equidem devotum applicandis legibus hominem, tum civili tum publico juri observando assignatum, mente adeo libera fuisse ut admitteret aliquid in tradito jure commutari posse. Ea vere civilis virtus fuit, et eo majoris pretii recensenda quo rarius est homines exsistere qui modum esse in rebus æstiment, qui eo sint animi robore præditi ut moderationem in opinionibus atque in actis adhibeant. Is autem fuit Pasquierius qui rariore virtutis genere valuerit, ausus scilicet moderationem in omni re constanter profiteri.

Hæc atque talia de Rebus publicis Pasquierius, seriis lassus, inter jocos et nugas admittebat. Sic animum inter civiles tempestates refovebat, a quibus mentem non ita amovebat, dum versus latinos scriptitabat, ut sanas ac validas de bono publico cogitationes quasdam inserere inter ludicra sua obmitteret:

« Hos quondam lusi civilibus obrutus armis,
Juvit et in media ludere pace joca.
Nec tuba nec toga me studio revocavit ab isto
Lex mihi lætari, lex proba vita mihi » [2].

§ *V. — De Philosophia et Religione.*

Antequam anquiro quid de *Philosophia,* quid de *Religione* Pasquierius senserit, id quod jam de Rebus Publicis notatum est notabo, scilicet veram hominis de tantis rebus opinionem aliunde

---

[1] Ep. IV, 4.
[2] Ep. VII, 136. Ad Lectorem.

quaerendam esse quam ex Epigrammatibus, quæ nil aliud sunt quam nugæ et inter res serias oblectamenta.

In *philosophia* quidem noster, quanquam nec veterum, nec recentiorum libros ignoravit, rerum tamen usu potius atque hominum commercio edoctus, rationem profecto de rebus humanis sibi propriam formaverat; sed multo magis sese applicuerat ad illam Sapientiæ partem quæ ad informandos mores pertinet. Quæ prior pars inceptæ quæstionis mihi erit.

Inde ad *religionem* transibo, quam vix a Philosophia Pasquierius sejungebat. Quando enim res universas propius inspiciebat, universam rerum rationem in Deo residere facile animadvertebat, ideoque regulas vivendi certas mansurasque a religione ducendas esse rebatur.

Rationem philosophiæ certam doctrinamque absolutam a Pasquierio exigere injustum foret, quoniam ille ad res ipsas sese præsertim applicuit et vir vere agilis exstitit. Variarum philosophorum disciplinarum haud ignarus, alias ex aliis sententias ducit, unde mediam quamdam et vitæ utilem philosophiam sibi fingit. Deprehendas enim in Epigrammatibus quæ ad morum artem pertinent alia quæ Epicureorum disciplinam redolent, non illam mollem et vulgarem, sed veram et sinceram, qua animi ad toleranda vitæ mala optime confirmantur. Plura reperias quæ constantiam vere stoïcam spirant. Neque abest a libello Pyrrhonis illa anceps ac suspensa de re omni opinio [1].

Recte tamen vivendi regulas et præcepta non apud philosophos quærit, non ex libris eruit, sed partim ab religione, a traditis majorum exemplis partim, imprimis et a sua mente recta, a sana et integra animi natura hausit.

Scire velis quam sibi viam vivendi Pasquierius proposuerit, quæ præcepta aliis sequenda obtulerit? Epigrammatum libros evolve, qui labor haud ingratus : commercium mox habebis cum viro optimo, neque tetrico, nec rursus supra modum hilari, qui potissimum moderatione, prudentia, et voluntate rectissima valet. Quas commendat virtutes atque capessit, eæ sunt medii ordinis, sed bene temperatæ, quas omnes uno vocabulo, pulchro quidem ac specioso majores nostri comprehendebant, quod Gallice referam utpote Latino sermoni alienissimum, « *prudhomie* » [2].

Virtutes plus quam humanas, heroum dignas deorumve, non mortalium, haud affectat noster, neque dubitat fateri se aliquantis-

---

[1] Vise supra pag. 12.

[2] Verbo eodem usus est Ste Beuve (Lundis, III, p. 257).

per vel a stoïcis, vel a sanctis viris distare. Sic eum non pudet præferre se ceteris invidiæ esse quam contemptui [1]. Quin et sciscitanti Scævolæ Sammarthano utram sequi semitam malit, hanc quæ homines ad summas evehit opes, an illam quæ ad mediocritatem infelicem ducit, fatetur noster se sapientem mente magis quam vita esse :

« .... Gratior utra mihi sit semita, Scævola, quæris ?
Forsitan illa mihi, forsan et ista mihi.
Illa facit cunctis ut solus abundet egenus,
Hæc miserum ad summas conciliabit opes.
Non satis est, inquis ; quod sentis dic mihi. Dico :
Illam laudamus, sed magis hanc sequimur » [2].

Scimus tamen meliorem sua de se opinione exstitisse Pasquierium, virum et moribus et tota vivendi ratione haud indignum qui aliis recta vitæ præcepta traderet. Sunt enim in Epigrammatibus inserta quædam poematia, quæ si exceperis atque in unum coegeris, Epitomen quamdam de Officiis, perbrevem sane, sed succi plenam habebis. Quæ sententiæ fortes, sanæ, rectæ, libello sæpius insulsis blanditiis corrupto saporem addunt.

Nonne ampla quidem et alta vivendi ratio, ac vere philosopho digna hoc epigrammate continetur ?

« Spernere divitias, ex se pendere, nec aulas
Fumosas procerum, mi Lodoice, sequi ;
Posthabitis reliquis virtuti incumbere totum,
Ludicra nec vulgi ferre theatra levis :
Hæc si tu praestes (sed cur non, Regule, praestes ?)
Tutius et regno, Regie, majus habes » [3].

Filiis, pater attentus, optima affert de vita consilia, præcipue in epistolis [4], sed et in poematiis. — Sic Theodorum monet ut divitias nec spernat, nec plus æquo amplectatur :

« Tu tibi divitias ut non moriturus habeto :
Idem divitias ut moriturus habe » [5].

---

[1] Epigr. VI, 56. — Cf. T. II, p. 934. « Steph. Pasquierii Epitaphium »

« Id solemne mihi statui despectus ut esset
Et procul a nobis et procul invidia :
Inter utrumque fui medius... ».

[2] Epigr. IV. 27. — Rem eamdem Gallicis versibus vertit Pasquierius. V. « Jeux poëtiques », III° partie, Sonnet X (T. II, p. 876).

[3] Epigr. III, 50. Ad Lodoïcum Regale (Seu Regium. — Ed. 1618).

[4] V. Lettres. VII, 1 ; IX, 2, 6 ; X, 3 ; XI, 3, 5, 9 ; XIV, 6 ; XVI, 4, 5 ; XXII, 10, 11.

[5] Epigr. II, 88.

— Nicolaum filium hortatur ut mature eligat genus vivendi quod naturæ et genio congruat, at præsertim electa via jam deerrare caveat :

« .... Lecta via est : mox te jubeo bene velle, deinde
Proximus huic tibi sit non resilire labor » [1].

— Nicolao eidem suadet pater ut officiis erga Deum libere ac simpliciter fungatur :

« Sic age cum superis quasi te plebs audiat omnis :
Sic age cum populo Di quasi te videant » [2].

Nec mirum est Pasquierium natos tanto amore tantaque prudentia moribus integris imbuisse, quandoquidem censebat patrem, donec liberos ad bonum informat, et ipsum rursus (quasi boni quadam contagione) effici meliorem. Quæ subtilis simul ac verissima sententia hoc epigrammate exprimitur :

« Natos morigeros meos fateris,
Acceptumque mihi putas ferendum
Hos quod erudiam pie, quod his et
Exemplum exhibeam pudoris. Atqui hoc
Illis debeo, Flacce, non mihi illi :
Istud forte novum ; sed hercle nil est
Quod tam contineat pium parentem,
Sensu si modo præditus sit ullo,
Quam præsentia cara liberorum » [3].

Sunt etiam apud Pasquierium sententiæ quædam, disticho uno inclusæ, quarum gravitatem ipsa brevitas commendat, ut ista quæ tota Christiana est :

« Non vivit sibi qui soli, Torquatule, vivit ;
Si vere tibi vivere vis, vive aliis » [4].

Putabat enim Pasquierius ac profitebatur sapientiam non humana ratione pendere nec humanis artibus constare ; sed veram philosophiam fere totam simplicioribus *Christianæ religionis* præceptis contineri. Quam opinionem expresse, nec ineleganter, in Epigrammate ad Janum Morellum dicato tramisit :

« Tu ne quæsieris, Morelle, nostræ
Catenam, seriem vicesque sortis,
Fortunæque tuæ architectus an sis,
An fati tacita necessitate

---

[1] Ep. VI, 55.
[2] Ep. VI, 36.
[3] Ep. III, 94. Ad Flaccum.
[4] Ep. VI, 27.

Constet sors tua : prorsus hæc Sophistæ
Disputatio vani et otiosi.
Sed si vis mihi Christianus esse
De nota meliore, mi Morelle,
Toto corde deum colas oportet,
Cives deinde tuos ames velut te,
(Nam certe tabulis duabus istis
Versatur fidei salus suprema).
Tum scrupos alios tenebricosos
Missos hos face Stoicis scholisve :
Fatum denique crede quando *factum* » [1].

Adolescentem illum nobilem, quem domi habébat nutriendumque quasi susceperat Pasquierius, Car. Marilliacum, non unice latinis versibus, Horatianis vel Catullianis, pascebat, sed et humanæ sophiæ simul ac Christianæ religionis exquisitissimis institutis instruebat. His enim verbis, vere Christianis, Epigramma concludit quo adolescentem contra varias fortunæ vices muniebat :

« .... Vivere disce Deo totus juvenilibus annis :
Hic scopus, hæc animi meta sit una tui.
Delitias et opes, fastum procul abjice : vives,
Carole, in æternum qui moriere cito » [2].

Alumnum Pasquierius et mero sapientiæ humanæ lacte, et ipsa divinæ prudentiæ medulla alere gaudebat. Postquam enim Marilliaco retulit quot et quanta munera fortuna acceperit, hæc verba addit, verba vere aurea :

« ..... Attamen hoc nihil est, nihil est, mi Carole, crede,
Ni præcepta tuo volveris hæc animo :
Imprimis venerare deum : Deus ille tuarum
Est largitor opum, fautor et ingenii.
Ingenio ne fide tuo, fiducia multos
Perdidit ingenii sæpe proterva sui :
Quanto major eris, tanto juvat esse modestum.
Nec sapias altum, Carole, sed timeas ;
Nec blandire tuæ fortunæ ; ast ipse videto
Ne juveni mater sitque noverca seni.
Hæc tu si tecum multumque diuque revolves,
Tu tibi spes, tibi sors, tu tibi portus eris » [3].

Res grata sane et priscis temporibus digna, virum amplissimum, jam grandem natu, non filios modo tueri ac colere, sed et illum quasi

[1] Ep. I, 62.
[2] Ep. II, 70.
[3] Ep. III, 45. — Cf. ejusdem Epitaphium, ap. Tumulos, 23 (t. I, p. 1243).

adoptivum paterna sollicitudine quadam fovere, lectissimis philosophiæ humanæ juxta ac divinæ institutis imbuere!

Placet et cernere Pasquierium locum in nugatoriis versibus servavisse, modicum sane, locum tamen *religiosis carminibus*. Eum enim non puduit vel Domini *natalicium* canere [1], vel de *Vita Æterna* versiculos edere, subtiles quidem, qui tamen poetam testantur aliquando animum a jocis et facetiis amovisse ac rursus ad res amplissimas applicuisse:

« Esse aliquid puto me dum vivo : a morte nihil sum.
Hoc aliquid nihil est, hoc nihil est aliquid.
Frigida mors vitam, mortem rapit altera vita,
Mors vanæ vitæ finis, origo bonæ ». [2]

Gravi illa et christiana sententia finis imposita sit [3] ei incepti operis parti qua Pasquierii et Philosophiam et Religionem attigimus.

Reliquum est ut de latinis poematibus judicium colligamus; qua peccent, qua autem valeant examinemus.

V. — Quanti æstimatus sit Pasquierius ut poeta Latinus quanti autem æstimandus.

Æquales latina Pasquierii poemata indulgentia nimia, ut videtur, æstimaverunt. Constat eum bonam partem gloriæ quam adeptus est, per carmina adeptum esse. Non desunt qui testentur Latinos versus, Epigrammata præsertim, inter præcipuas nostri laudes esse ponendos. Rem testantur plures illi poetæ tum illustres, tum ignobiles, quorum laudationes pro ipsis carminibus collocatæ sunt [4]. Inter

---

[1] Epigr. I, 2. De Natali Domini.

[2] Ep. II, 5.

[3] Priusquam tamen missos faciam Epigrammatum libros, veniam orem oportet propter res neglectas et omissa loca plurima, quæ certe haud omittenda sint (*). Sed et infiniti laboris fuerit in tam vario opere quidquid notatione dignum sit notare, et forsan satis fuerit in lucem et præcipuas operis partes, et ipsum poetam protulisse.

(*) Fatebor me aliquandiu cunctatum pauca dicere de Pasquierio Picturæ et Sculpturæ amatore ac judice, ægre ab incepto destitisse, ne longus essem. (Vide Epigr. lib. II, 6, 87, 92; V, 9, 10; VI, 34, etc.).

[4] « Nonnullorum clarorum virorum ad Steph. Pasquierium carmina », t. I, p. 1115, sq.

quos principem facile locum obtinet Scævola Sammarthanus, ode illa qua præconium amici sui suscepit :

» Contrahes paucis Epigramma verbis,
Docte Pasqueri, neque te Catullus,
Bilbilis nec te soboles faceto
Carmine vincet.
....
... — Te quidem lauro celebrem foroque,
Magne Paschasi, celebravit ingens
Orbis a Peuce viridi ad superbas
Hercule Gades » [1].

Testantur et complures non mediocres viri, scriptis ad Paschasium epistolis, quae praeter usitatam epistolis commendationem, veram tamen ac sinceram admirationem profitentur.

Aliquot annos post, Guill. Colletet in « Arte poetica » Epigrammatum mentionem facit quorum laudat « urbanitatem, sal et ingenium » [2]. Nec cito cessit fama illa, ut apparet ex judiciis Goujeti ac Moreri, quæ mox referentur. Nostris etiam temporibus vir ille doctus qui de Pasquierio tantopere meritus est, L. Feugerius, rem nullis ambagibus declarat, verbis hisce quæ latina facio : « In » illa latinæ poeseos aurea ætate, Epigrammatum libri, judicio » æqualium, Pasquierio fuere inter præcipuos titulos. Nonnulla » etiam ejus carmina, vel apud exteras gentes, incredibili celebritate » gratiaque floruerunt » [3].

Testis vero præcipuus et præco gloriæ Paschasii, Paschasius est. In epistola enim ad Ant. Loysellum veterem sodalem scripta, poeta jam senior famam sibi per carmina quæsitam, tam domi quam foris, ingenua superbia ostentat. Gloriatur enim se nullum de rebus publicis composuisse poema Gallicum Latinumve, quod non ab omnibus bonæ mentis aut honestæ dignitatis viris comprobatum

---

[1] T. I, p. 1115. — Lege et illud Flor. Christiani :

« ..... Haud quod seria vel jocosa tractans
Summos carmine provocat poetas,
Priscos provocat, anteit recentes,
Doctus, promptus, acutus et rotundus,
Melle cum libet illinens poema,
Felle cum libet et licet..... »
[T. I, p. 1116].

[2] G. Colletet [Art. Poétique. Traité de l'Epigr. Chap. V, ap. Feugère, p. 129] « vante encore l'urbanité, le sel et la grâce des Epigrammes de Pasquier ».

L. Feugère. Vie....., p. 129 (Cf. Dupin : Eloge de P., p. 60).

fuerit, etiamsi poetæ nomen ignoraverint [1]. Rei autem exempla affert plurima quibus constat poetæ famam et parisiensis fori fines et Gallici regni terminos transgressam, usque ad longinquas terras evolavisse. Jos. Molæi Epitaphium a P. Pithæo usque in hyperboræis Poloniæ oris et lectum, et probatum est. Epitaphium alterum, lepidum satis, haud tamen perfectum [2], ad Venetos allatum est nec ab illis despectum. Quin et Guisii ducis « Tumulus »[3], Blæsi compositus, anno MDLXXXVIII, Romam usque transmigravit et in illa latinitatis patria, a summo Pontifice Sixto V comprobatus est.

Sua Pasquierio gloria molestiæ interdum fuit. Queritur enim alicubi « simiis refertam esse Galliam [4] », iis scilicet imitatoribus qui sua commenta poetæ carminibus inverecunde subjungebant.

Constat igitur Pasquierum operam non omnino perdidisse [5], quando otium scriptitandis versibus latinis dedit, sed ex istis ludis, jocis, ineptiis famam sibi et apud æquales et apud posteros comparavisse.

Quin immo, plus laudis consecutus est latinis carminibus, paucis quidem et brevioribus, quam infinita copia illa Gallicorum poematum. Credo equidem Pasquierium, si quis latinos versus Gallicis prætulisset, coramque dixisset, judicium istud admiratum esse simul et stomachatum. Nempe ut versus latinos componendo debita solvebat temporis mori usuique [6], ita præcipuam certe laudem a Gallica poesi petebat, et longe aberat ab opinione celeberrimi latini

---

[1] Epist., lib. XIX ; ep. 11 ad Ant. Loysellum, t. II, p. 557 : « Je vous diray doncques qu'il ne m'est jamais advenu de faire quelques eschantillons en vers français ou latins sur l'estat général de nostre France, qui n'ait esté favorablement reçeu par les bons esprits et personnages d'honneur, ores qu'ils ne sçeussent qui en estoit l'autheur ».

[2] II, p. 561. (Epitaphium Dom. Joannæ de La Marche).

[3] Epitaph. illud, quod a « Tumulorum » libro abest, in citata Epistola reperies (t. II, p. 561-562).

[4] V. Lett. XIX, 11 (t. II, p. 559. B). — Cf. Feugère, p. CXXIX.

[5] Nec poetæ id defuit quod gloriam demum consummat, invidorum dico censuram maligniorem. Inter quos P. detrectatores eminuit P. Garasse, in noto illo libello: « La Recherche des Recherches ... », (1622). V. lib. III, § 20; « ... Ce n'est pas pour avoir composé des poèmes de longue haleine que vous vous qualifiez du nom de poëte, mais pour avoir tracé quelques petits distiques morfondus et ridicules, qui ressentent un air villageois, etc., etc. » — Cf. Feugère, p. 184-185.

[6] V. Ste-Beuve, Lundis, III, p. 253 : « ... payer son tribut de politesse et de courtoisie à la mode du temps ».

poetæ Nicol. Borbonii, bibacis ceterum inclytissimi, qui, « quando Gallicos versus legebat, aquam bibere sibi videbatur »[1].

Qua in opinione tota fere via deerravisse Pasquierium puto. Nam illo concursu, impetu illo poetarum qui, post Ronsardum, novam Franciæ poesim dare conjuraverant raptus, temere subitus factus est poeta Gallicus. Sua eum decepit ambitio. Nam si res majores Gallicis versibus aggreditur, si longiora etiam componit poemata, si quando animi sensa liberius exprimit, vel interdum versum aut alterum, vel etiam versuum globum quemdam feliciorem inserit, confitendum tamen est eum plerumque medium prope vel infra medium stetisse, quoniam vitia anteactæ ætatis cum vitiis novi sæculi conjunxit. Vix enim tolerabiles lectu sunt versus isti incompti, sermoni propiores, diffluentes, verborum colluvione tum ambitiosorum, tum desuetorum male sibi cohærentes.

Haud mirum igitur si judices rei litterariæ non omittendi, quanquam fuere sine studio judicandis et Ronsardo et Ronsardi discipulis male apti, haud dubitaverunt Pasquierii carmina latina Gallicis versibus anteponere. Scripsit enim Goujetus abbas « Gallica Pasquierii poemata poematibus latinis cedere »[2]. Aliunde et legimus « Pasquierii latina poemata longe ceteris præstare »[3]. Judicia ista certe nec admittenda, nec omittenda sunt, propius tamen ad verum accedunt.

Serum est disquirere quas ob causas Pasquierius latinis versibus fingendis paulo plus quam scribendis Gallicis versibus valuerit. Seu genus ipsum poeseos quod usurpavit ingenio poetæ acutiori quam grandiori ac teneriori magis sit accommodatum; sive lingua ipsa, ut magis facta, sic stricta magis, singulariter animum viri sustinuerit, quem Gallici sermonis mobilitas et quasi inconstantia male juvabat : quidquid est, ne plura disseram in vacuo de incerta quæstione, id superest latina Pasquierii epigrammata lectu minus fastidiosa esse, longa minus et molesta quam Gallicos versus, quotquot sunt.

Ex his apparet Pasquierium neutra in lingua verum poetam fuisse, nec multum scribendo valuisse, nisi quando prosa oratione et patrio sermone utitur. Tunc autem seu in *Epistolis*, seu in libris « *Disquisitionum* », scriptorem reperimus non negligendum, varium, candidum, longiorem forsan ac lentiorem, sed simplicitate ac sapore amabilem.

Ne longius ab æqualium judicio abesse videar, et ultra modum latina Pasquierii carmina despicere, æquum simul et commodum

---

[1] V. Vissac. De la poésie latine en France aû temps de Louis XIV, thèse 1862, p. 41.

[2] Goujet. Bible franç., t. XVI, p. 259.

[3] Dict. Moreri, éd. 1759.

puto severiorem sententiam exemplis aliquot et argumentis tueri.

Referam igitur quibus præcipue vitiis opus noster infecerit suum, — sive contra *rectum judicium* peccaverit, — seu leges aut *scribendi aut versificandi violaverit.*

Si quis varia componendi ac scribendi vitia quibus latina Pasquierii carmina maculantur ad unum reducere voluerit, causam ad unam omnes errores revocaverit, is mecum (ut puto) concludet nostrum, quidquid peccaverit, peccasse ob nimiam eruditionem, ob immodicam veterum Italorumve imitationem. Peccat enim Pasquierius plerumque quia simplicitate caret, nec res ingenue exprimit, sed contra aut ambagibus utitur quo exquisitius loquatur, aut pueriles ac putidas dicendi artes adhibet, quo melius ingenii acumen doctis approbet. Unde fit ut perraro naturam suam ingeniumque sincerum exhibeat, personam autem semper fere alienam agere videatur, modo discipuli qui, magistrorum dicto obedientior, scholastica vitia dum effingit, in pejus provehit; modo perurbani cujusdam qui urbanorum venustatem paulo invenustius imitatur.

Vitium forsan præcipuum, vitium certe lectori molestissimum, quod jam non semel notavimus, quod pleraque poemata fœdat, furor iste est non res simpliciter traducendi, sed verba mutandi, verba verbis nulla necessitate opponendi, vocabula in varias partes secandi, unde pueriles rerum similitudines trahat. Quarum ineptiarum etsi plurima passim et insignissima exempla attulimus, placet tamen unum aut alterum adjicere, ne forte cetera jam legentibus e memoria excesserint [1].

Vult poeta explicare quas ob causas et Latini et Galli arbitrati sint in *corde* esse sedem cogitationum : mirificam statim imaginatur explicationem quam ex vocabulis ipsis ad arbitrium vexatis et discissis ducit :

« ... Quod si a *corpore* dempseris *cor* ipsum
Nil nisi saniem, excreationem,
In summa nisi *Pus* tibi relinques » [2].

— Bellum et litteris ipsis indicit, quas ex voluntate secat aut

[1] Hoc vitium sueta dicendi asperitate corripuit Garasse. V. « La Recherche des Recherches », 1622, lib. II, § 23. « Je vous dis que si les Modalles sont appelées par quelques Dialecticiens pistrinum ingeniorum, les anagrammes de M. Pasquier sont Pistrinum pistrini etc. ».

[2] Epigr. IV, 6. « Cor ».

commutat : præstigiatorem eum dicas circulatoriam exercere artem, quando *vir* [1] et *vis*, vel *vis* [2] et *jus*, quæ vocubula litteris fere iisdem constant, idem significare demonstrat. — Scriptori fecundo nimis ac molesto, ut statim omnibus placeat, consilium affert facile ac subtile:

« .... Multus qui populo cupit placere,
A *multo* (queat ut placere multis)
Lambda subtrahat, ipse tum placebit ». [3]

Nec dubitat insolentissimas verborum origines indagari, ut in illo poematio « *de Martinalibus* », ubi fingit ferias martinales, quæ gustando vino novo et pytissando celebrabantur, eo nomine designari tanquam sancti Martini nomen duobus verbis Græcis μάρτυρ et οἴνου constaret ! [4] At enim is est merus jocus, eæ facetiæ meræ ? — Scio equidem ; sed istius modi jocus certe pædagogum et putidiorem grammaticum plus æquo redolet.

Lasciviam illam scholasticam excusandam putavit Pasquierius quæ, ut ait, « *nauseam parere omnibus* » poterat. Auctores sibi vindicat et vades Ausonium magnum atque Martialem quos sæpius in nominibus frequenter jocatos esse, allatis exemplis, prædicat. Quæ exempla culpam imitatoris forsan levant, non demunt omnino, quia Martialis nec tam sæpe nec tam frigide arcessitis nominibus istis usus est, sed rebus ipsis et vero acumine mentis famam ingenii sibi quæsivit.

Quando autem verba in obscœnum sensum detorquet Paschasius, tum vere Martialem, tum Gallos et majores et æquales, imitatur. Plus quam rusticum, fere barbarum est id de servo suo :

« Nescio quid fœtere tibi succenseo : tu me
Nasum, vellem te non habuisse pedes ». [5]

Iratus poetæ cuidam qui de « *Manu* » Pasquierii jocatus, nimio plus insinuaverat patronum illum prehensibiles habere manus, licentiore scommate respondet noster :

« Dum loculos, oculos, toties in carmine versas,
Omnibus ecce refert Echo tua carmina : Culos, ». [6]

Eæ sunt facetiæ quas Paschasius ipse vocat « ludum haud ita sordidum » [7].

---

[1] Epigr. I, 31.
[2] Epigr. I, 32.
[3] Epigr. V, 24.
[4] Epigr. IV, 71. De Martinalibus.
[5] Epigr. III, 48. In Iberum.
[6] T. II, p. 212. Lett. VIII, 12 à M. Tabourot.
[7] Gallice : « un jeu sans villenie » (loc. cit.).

Sordidiores sunt joci quidam quos recens pudor noster tacere me jubet [1], quos excusat temporis simplicitas. Vis exemplum afferam? Lege, precor, in collectis « *de Pulice* » poematibus poematia duo quæ opus aperiunt. Similitudine quadam verborum ita abuti ut ex vocabulo « *pulce* » ad « *pulcelette* », mox etiam ad « *pulcelle* » transeatur, atque inde indecenter ludere de puellis ac puellarum castitate : — id vix tolerari potest dum sic jocantur Pasquierius ipse [2], et Barn. Brissonius [3], ceterique viri libertate latina et forensi procacitate excusandi. Multo autem molestius est puellam ingenuam, Cath. Rupellam [4], primam omnium, gallico sermone non latino, indecoras istius modi facetias vel leviter attigisse. Postquam igitur virgo illa, honesto loco orta, jocis improbioribus quasi signum dederit, neque eam puduerit legere et plausu suo comprobare locos cæterorum poematum turpiores, credo equidem nonnihil culpæ suæ Paschasio esse condonandum si forte in latinis carminibus Martialem suum diligentiore cura imitatus sit.

Vitium aliud est ab eadem causa ortum, illa scilicet erudita rusticitate, quod vitium non proprium Pasquierio fuit, sed æqualibus plerisque commune, nec ab antiquis adscitum, sed a recentioribus, Italicisve Gallicisve, sumptum. Illi enim homines, nescio utrum subtiles magis an magis ingenui, quidquid subtiliter scriptum erat pro bono habebant ; quidquid in carminibus pangendis et rarius et difficilius erat exquisitum statim ac perfectum ducebant. Ea pulchri specie decepti, res simpliciter dicere parum curabant, nec quidquam fere nisi *quæsito verborum circuitu* exprimebant. Mox, pravo eodem judicio deducti, simpliciora poëseos genera ferme fastidiebant, præstigias autem vere pueriles vel cogitandi, vel scribendi, versificandi imprimis, magni faciebant. Ludios eos ac petauristas potius quam graves homines et sanos poetas putes.

Credo quidem Pasquierium multo magis gloriatum esse postquam res inexspectato quodam verborum ambitu reddiderat, et subtiliorem περίφρασιν excogitaverat, quam cum versum optimum pepigerat, vel totum poema omni parte perfectum condiderat. Vitii hujusce exemplum insigne reperies, si « *de Pulice* » libellum evolveris, legerisque poematium illud quod Gallice inscribitur : « *Vœu pastoral en faveur des poètes chante-puces* » [5]. Nullus ibi poeta nomine suo

---

[1] V. IV, 45 ; V, 50. etc.

[2] V. « La pulce de Pasquier », t. II, p. 951-952.

[3] Barn. Brissonii Pulex t. II, p. 954.

[4] « La Puce de Catherine Desroches », t. II, p. 950.

[5] T. II, p. 988.

nominatur, singuli autem verbis plurimis ac longe petitis qualitercumque describuntur [1]. — Rariores sane insunt in latinis versibus istæ ingeniosæ ineptiæ, non omnino tamen absunt.

Ut sciatur quam longe Pasquierius a sano judicio deflexerit, quot horas in laboriosis nugis male collocaverit, quanti putaverit futiles artes versus componendi, lectoris mentem percellendi, vel aures (ut putat) permulcendi, recurrendum est ad Epistolam illam quam ad *Tabourotum* [2] de hisce poeticis ludis scripsit. Ibi demum nostri puerilem curam ac sollicitudinem circa ista putidissima ludicra deprehendas. Gaudet et gloriatur recensere tot et tam ingeniosas poematiorum formas, tot admirabilia carmina, sive ab antiquis sive a recentioribus labore multo fabricata, quos inter rerum novarum repertores locum ipse sibi vindicat. Ibi pro meritis suis laudantur versus *recurrentes* [3] vel *reciproci*, et *Anagrammata* [4], et mire factus ille versus qui, virgula mutata, sensum mutat [5], et prodigiosum poetæ incogniti distichon illud quod iisdem verbis et Novum et Vetus Testamentum includit [6]. Nec absunt carmina quæ, repetitis sonis quibusdam ac verbis certo loco collocatis, ob id « *Echo* » nominantur [7]; neque versus quos dicit « *rapportés* » [8], et illi qui ænigma lectori proponunt [9]. Non omittam ludum illum (poeticum dicam an puerilem et scholæ dignum ?) quo rerum sonitus, vel animalium cantus qualiter qualiter referuntur [10]. — Plures certe ex istis ineptiis præterii, nec me præteriisse pœnitet. Istas tamen putidas nugas non excusat Pasquierius, sed patrocinio suo tutatur. Etsi verecundia fatetur jocos istos nihil aliud esse nisi « scurriles quosdam

---

1 Sic se ipse designat Paschasius : « Celuy qui du Pascage emporte le surnom ».

2 II, p. 211-218. Epist. lib. VIII, epist. 12 ad Steph. Tabourotum, qui auctor est illius libelli : « Les bigarrures du S^r des Accords ».

3 II, p. 213-214. Unum ex his ancipitibus versibus, a se factum, non mediocri superbia refert :

« Patrum dicta probo nec sacris belligerabo ».

4 II, p. 215-216. Lege, precor, de *Rem. Bellœo* ridiculum poema. — Cf. Garasse. « la Recherche des Rech. », III, § 20.

5 II, 217. — Cf. Epigr. IV, 8.

6 II, 218. — Ct. Epigr. II, 94 : « De Jovis amoribus ». — Cf. Icon., lib. II. (Edit. 1618, p. 275).

« Suessio, Parisii, Genabum, Metaeque, Arelasque
Ornarunt Reges nomine et imperio ».

7 II, pp. 214-215.

8 II, p. 215.

9 II, pp. 215-216. Gallice : « *rébus* ».

10 II, p. 217. Sic lusciniæ cantus repræsantatur :

« Tutu, tot, toto modularis gutture voces.... ».

et Epigr. V, 62 : « Ad Philomelam ».

lepores »[1], censet tamen eos hominum honestiorum judicio[2] « venustos vere flores » habendos esse. His nempe jocis recreari mentes putat, quo fortius bonis seriisque rebus incumbant.

Nimium sane et temporis et curæ insumpsit Pasquierius ut poesim erudite magis ac subtiliter quam poetice tractaret. Sed in ea re non omittendum est Gallos nostros eo potissimum vitio usque peccavisse, qui quasi per intervalla a natura ac veritate recedunt, ut se totos vexandis verbis et ingeniosis hujusmodi ludis dedant. Unde aliquatenus excusanda est Paschasii subtilitas.

Superest ut expedite ostendam *quibus præcipue vitiis* Latina Pasquierii poemata inquinentur, sive in *scribendo*, sive in *versificando.*

Latina quidem lingua haud imperite utitur noster, ut qui sermonem eum puer hauserit, omni vitæ tempore usurpaverit, neque unquam impar fuerit aut latine scribendo, aut etiam latine loquendo. Nec unam particulam, unum quasi angulum Latinitatis occupaverat, illam scilicet Classicam linguam quæ intra paucos annos clauditur, vel tota uno Cicerone continetur. Quanquam florem illum latini sermonis avide decerpserat noster, tamen studio quodam ingenii sui potius in *Martialem* vel *Ausonium*, etiam in *Joa. Secundum*[3] delabi videtur. Lingua ergo utitur non admodum pura et sincera, sed vitiis quibusdam, quæ ex suspectis auctoribus hauserat, corrupta. Imo linguam adhibet verbis artium plurium propriis, juris præsertim, auctam, sed inquinatam. Inde sermonem sibi comparaverat, quem certe respuissent Maro, Tullius, vel Quintilianus, qui tamen non aspernandus est, eaque laude in primis valet, quod veram et vivam linguam redolet, non adscitum sermonem istum multo labore ad auctorum exemplar singulis verbis ac sententiis effictum.

Non animus est singula orationis vitia deprehendere; quæ parum latine, grammatice parum scripta sunt, corripere. Quod nec res postulat, nec fert hujusce opusculi mensura. Sunt verba quæ aut barbara, aut saltem suspecta sunt[4]. *Solœcismum* hinc inde carperet diligens quidam grammaticus[5]. Sed menda ista excutere ad unum

---

[1] « Qui ne sont que bouffonneries », II, p. 218. Eosdem vocat « ses Bigarrures », vel « ses Grotesques », ibid.

[2] « Au jugement d'un mieux né sont *belles fleurs* », II, 218.

[3] V. Iconum, lib. I, 130 (Ed. Amstel, p. 1264).

[4] *Teruisse* (pro vulgari : *Trivisse*) (Epigr. I, 49). *Uni* pro *unius* (Icon., II, p. 287, Ed. 1618).

[5] V. Epigr. I, 41 « alium » posuit pro « alterum ». — Epigr. VI, 4. « *Hujus* sollicitus ...» Cf. Epigr. V, 35, VI, 17, 86.

quid refert ? Manifestum est Paschasium a sincera latinitate, a severa grammatica discessisse; quibus tamen mendis poemata, si quid detrimenti capiunt, non omnino pessumdantur. Culpa tamen unde orta sit si scire velis, non ignorantiam viri argues, ut opinor, sed et ipsam linguæ experientiam cui nimium confidebat, et scribendi quamdam festinationem incusabis.

Vitium autem est, non pari indulgentia excusandum, quod totum opus latinum Pasquierii lædit, neque etiam ab optimis poematibus abest. *Scribendi nempe genus* habet noster non promptum satis et liquidum, non simplex et lucidum. Sententias sæpius confusas præbet, verbis parum propriis impeditas, quæ rem detorte exprimunt, aut imperfecte enuntiant, aut etiam nil omnino significant. Loca quædam notavi quæ postquam omni modo versavi, omni ex parte sum aggressus, haud plane intelligere potui. Meam certe culpam esse quam auctoris malim ; sed periculum est ne auctoris potius culpa sit. [1]

Quod Pasquierium gravius insimulat *obscuritas* ea est, non ex cogitationum sublimitate orta, non ex angustiis illis quibus coarctatur qui res difficiles vix exprimere potest. Quod longe est. Mera est scriptoris negligentia qui semper properat, festinat, securus posthac imperfectum et obscurum opus effecerit, an optime quod voluerit significare significaverit. Hac in parte operis omnes fere æquales peccaverunt, viri strenui, acres, sublimes etiam atque impetu valentes, non autem industrii satis in dicendo, nimium sibi faciles, ignari præcepti illius pæne divini quo Bolœus, post Horatium, poetas jussit difficillime facillimos versus cudere.

Ob istam incuriam quæ vetat homines temporis illius summam manum operibus suis imponere, non modo opus nullum fere perfectum evasit e Pasquierii officina, sed et in optimis poematibus aliquid usque desiderandum est, seu perspicuitas, seu perfecti operis splendor nescio quis. Brevitate quanquam æquales Pasquierius vincit, quæ laus generi poematum plus quam ingenio poetæ referenda est, tamen propter nimiam scribendi festinationem, non dicam longior in distichis, sed prolixus vel in concisis epigrammatibus videtur.

Quamvis *artem metricam* percalleat Paschasius, licenter tamen versus componit.

Syllaba longa sit an brevis parum videtur curare. Haud dubitat *quōtidie*, *imŏ*, *ēĭă*, *Pārĭsĭorum*, *dĕīnde*, *cŭi*, — pro *quŏtīdie*, *imō*,

[1] Vide Icon., I, 60 ; Epigr. III, 50, 88 ; Epigr. VII, 13, etc.

ĕia, *Părisiorum*, *dĕinde*, *cŭi*, nullo jure suo, in versibus collocare [1]. Qui errores non ignorantis sunt, at potius festinanter scribentis, et nimium sibi confidentis, qui versus conficit prosodiæ memoria fretus, nec assidue « *Thesauri* » vel « *Gradus* » paginas revolvere dignatur.

Quod si hanc licentiam sibi arrogat quæ apud metricos « *Sigmatismus* » vocatur, venia non indignus est, quippe in illa parte Grammaticæ celeberrimi Despauterii quæ de arte metrica tractat, hunc versum legere est qui talem licentiam permittere videtur :

« Grammaticæ leges plerumque *Ecclesia* spernit ». [2]

Reprehensione multo dignior est Pasquierius quando versus canoros parum ac dulces mittit, sive ob asperam vocalium elisionem hiulci aliquid habeant, sive rursus salebrosi aliquid propter duriorem consonantium concursum. Cujus vitii exempla adeo in carminibus scaturiunt ut singula rei afferre indicia supervacaneum putaverim.

Quibus potissimum *metris* utatur Pasquierius, qua ratione ea inter se componat, accurate satis introspexeram. Sed hanc operis partem, ut aridam nimis nec proposito necessariam, recidere satius habui. Quid enim interest operam longi laboris instituere de tam tenui opere, tam tenui auctore ? Sufficiat hic indagationis nostræ summam paucis contraxisse.

Non magna metrorum varietate usus est Pasquierius. *Disticha* plerumque adhibet, postea *Hendecasyllabos* seu *Phaleucos* quibus licenter utitur; non desunt *Iambici* versus, sumpta usque licentia, quippe puros *Iambos* perraro invenias. Parce usurpat *Hexametros* nullo alio numero contaminatos. Semel *Scazonibus* usus est ; Hexametros semel cum alio metro consociavit.

Id magis memoria dignum videtur Pasquierium, dum componit carmina, non severam disciplinam servavisse, *leges metricas* non religiose secutum esse ; sed omnem fere licentiam, nec pudenter, sibi sumpsisse. Quod argumento est nostrum ut in scribendo, ita in versificando, non tam latinam poesim profitentes æmulatum esse, quam locum sibi inter intelligentes et studiosos *latinæ poeseos amatores* quæsivisse.

Quæ Pasquierio propria et justa laus est.

---

1 Epigr. III, 36 : *Dūplo* pro *Dŭplo*. — Epigr. I, 53 : « Vidus *ĕheu*, pro *ēheu*.

2 Despautère [Apud Vissac : Poésie latine en France....]

CONCLUSIO.

Opinor equidem Pasquierium locum sibi et distinctum satis, nec adeo mediocrem paravisse inter eos scriptores qui non a Latina Musa unicam gloriam suam petivere, sed inde aliquid decoris nomini suo adjicere voluerunt.

Si quis enim Pasquierium cum excellentissimis ejusdem seculi poetis latinis conferat, iniquum certe nostro certamen sit :

> « ... Quid enim contendat hirundo
> Cycnis ? ... »

Nonnullorum ego æqualium, seu sponte mea, seu hujusce opusculi conficiendi gratia, latina carmina evolvi, nec me consumpti temporis pœnituit. Id ex hoc studio collegi, Buchananis, Auratis, Beziis, compluribusque aliis cedendum Pasquierio esse, nec dubito quin ipse tantis viris ultro cesserit, quos etiam magistros sibi proposuerat [1]. Quippe etsi eorum vitia quædam retinet, quæ et generis scribendi sunt, et temporis, scilicet affectatam subtilitatem, nimiam eruditionem, arcessita verba, jocos inanes, spurciores facetias, illorum tamen noster nec rerum simplicitatem, nec componendi facilitatem, nec dictionis salubritatem proprietatemque assequitur. In illa quasi schola Latinorum non inter magistros annumerandus est Pasquierius, sed optimus inter optimos discipulos habendus.

Hunc igitur si æque judicare volueris, inter pares repones, inter litteratos illos viros qui latinis carminibus studiorum memoriam renovabant ; vel potius eum sui ordinis viris comparabis qui latinæ musæ vacabant. Qua in cohorte patronorum et judicum locum obtinet si non primum, primo tamen proximum. Concedit certe J. Bellæo subtili ingenuitate, Steph. Boetiano concedit animi robore,

---

[1] Quod conspici potest ex poematibus quæ Buchanano (Epigr. VI, 59. Icones 163, Ed. Petit-Pas, p. 257) vel Aurato dicavit

M. Hospitali varietate et rerum quadam veritate, J. A. Thuano gravitate ac pondere. Eam autem sibi excusationem vindicat, quod non latinis carminibus meliorem famæ suæ partem quæsivit, quam tot aliis operibus sibi comparaverat.

Id etiam contendere ausim Pasquierium alieno marte pugnare quando etiam socios suos ac sodales provocat. Non quod ei præponere velim judices illos ac forenses quos in pulverem deduxerat, ut *Pulicem* certatim canerent, Barn. Brissonium, Ren. Chopinum, Ant. Loysellum, Cl. Mangotium [1], et ceteram poetarum legionem. Atqui, quos nominavi, subiti poetæ, æmulum suum si non subtilitate, varietate, hilaritate vincunt, vincunt tamen aliquando copia rerum et verborum, latinitatis æqua et fluente ubertate, numerorum etiam facilitate.

Sua tamen Pasquierii laus est, quam diutius me tacuisse piget.

Valet enim, si quid valet, propterea quod Latinæ poeseos magistros exacte minus quam plerique imitatur, versus suos componit bonos malosve, non ingeniosos *centones* ex auctoribus ducit. Hoc et æmulis cedit, et præstat. Credo equidem Pasquierium, si latinæ poesi unice vacavisset, aliquot forsan vitiis caruisse, minus tamen in summa valuisse, quippe eum libertas quædam ac ingenuitas defecissent, quæ quasi nota est, vel color latinorum nostri carminum.

Mihi tantum non sumo ut Pasquierium nunquam aut veteres aut recentiores poetas imitatum esse contendam. Quod absurdum foret, quando ipse se multum a multis mutuatum esse confitetur [2], quando et quos nudavit auctores expresse indicat [3]. Nonnulla sunt poematia quæ ab Martiale [4], vel ab auctoribus Anthologiæ [5] sumpsisse eum manifestum est, quædam vero Catullum, vel Catulli sectatores mirum in modum referunt [6]. Attamen laudis suæ sibi conscius indignatur si quis eum Virgilii imitatorem ac simiam ducit, nec dubitat

---

[1] Compara inter se et Pasquierii et æmulorum prima de Pulice poemata, t. II, pp. 951-966.

[2] Epigr. V, 118:

> « Plurima me veterum sensa expressisse fatebor:
> Ni fatear, fur sim, vel furiosus ego ».

[3] Epigr. IV, 79. Cf. Icon. I, passim.

[4] Vide Epigr. II, 60; III, 102, 104 ; VI, 23.

[5] Cf. Epigr. II, 61.

[6] Epigr. VI, 40. De sua Catella clauda.

profiteri se sui juris esse, vel antiquis succensere qui eum vere furati sunt :

« ... Di male perdant,
Antiquos mea qui præripuere mihi ». [1]

Certum enim est nostrum parciorem veterum furem exstitisse, rarissimum interpretem [2], discipulum plerumque, sed eum qui sui compos omnino foret.

Pasquierius, aut ego fallor, in latinis carminibus, quanquam in illo genere multis impar fuit, quanquam nullis fere vitiis caret, nonnullas naturæ suæ virtutes expressit, ingenuitatem simul ac subtilitatem, hilaritatem, lasciviam ; sanam et animi constantiam approbavit : ita ut, si non meliorem sui partem hisce jocis produxerit, quod tamen deprehendimus tanto viro non indignum videatur.

[1] Epigr. V, 118.

[2] Comp. Buchananum, qui in latinis carminibus veteres sæpissime interpretatur, imitatur semper.

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. X Kal. nov. ann. MDCCCXCVII°
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

APPENDIX

Index Latino-Vernaculus nominum propriorum aliquot quæ in latinis Pasquierii poematibus occurrunt.

Tria sunt nominum propriorum genera apud Pasquierium.

Multa sunt nomina hominum adeo illustrium ut toti in Historiis sint. — Multa alia nomina, quanquam ficta et fucata, ad homines temporis quosdam referri poterant ab æqualibus, non tamen a nobis. — Hæc atque illa, aut obscuriora, aut clariora, consulto in hoc Indice omisi.

Tertium genus est nominum quibus homines certos designavit Pasquierius, sed homines jam pæne memoria deletos, et ita latinis vocabulis personatos ac deformatos, ut non absurdum nec inutile fuerit obscuritatem istam, vel paululum, discussisse.

Quando autem hanc ultro operam suscipio, postulo ut mihi liceat vernaculo sermone uti, ob et scribentis, et legentium commoditatem[1].

---

[1] J'ai consulté surtout :

Pasquier lui-même, dans ses Lettres, et les Recueils de « la Puce », « la Main », etc.

Lacroix du Maine. — Du Verdier. — Bibliothèque française. Edit. Rigoley de Juvigny, 1777.

Scévole de Ste Marthe. — Eloges des hommes illustres qui depuis ce siècle ont fleury en France dans la profession des Lettres. Composés en latin par Sc. de Ste Marthe et mis en français par G. Colletet. — Paris, in 4°, chez Ant. de Sommaville et Aug. Courbé, MDCXLIIIII.

Ant. Loysel. — « Pasquier ou Dialogue des Avocats du Parlement de Paris » dans « Lettres sur la profession d'avocat », par Camus, publiées par Dupin aîné. — 5e éd., 1833. Bruxelles, libr. de Jurisprudence de H. Tarlier [v. 3e conférence, pp. 75-129].

J.-A. de Thou. — De Vita sua (t. II de l'Ed. Nic. Rigault).

Bayle. — Dictionnaire historique et critique. Ed. 1720.

Abbé Goujet. — Bibliothèque française.

La Pléiade française. — (A. Lemerre, éditeur).

Albenus, Petrus (Epigr. VI, 71, éd. 1618).

Voyez : « Petr. Portanus ».

Allemanus, Gabr. (Epig. VII, 87).

Gabr. Aleman ? ou Lallement ?? vice-président (?) de la Chambre criminelle dite « La Tournelle ». [« Capitalium caussarum.. propraetorem »]

Ambosius, Franciscus (Epigr. VI, 46).

François d'Amboise, parisien. Avocat au Parlement de Paris. — Conseiller au Parlement de Rennes. — A écrit en français et en latin, en prose et en vers (V. nomenclature de ses œuvres, ap. Lacroix du Maine, I, 201. — Du Verdier, III, 603). — Cf. Bayle, art. Amboise. — Goujet.— Pasquier « La Puce ».

Audebertus, Germanus, Aurelianus (Epigr. V, 56).

Germ. Audebert, d'Orléans (mort en 1598). Elève d'Alciat, à Bologne. Chanta en vers latins Rome, Venise et Naples (dans « Delitiæ C poetarum Gallorum » 1609, t. I). Président aux élus, à Orléans. (Scev. de Ste Marthe. Eloges des hommes ilustres. — Cf. Bayle ; Goujet).

Aurelius, Ludovicus (Epigr. II, 82).

C'est sans nul doute *Louis Dorléans* l'avocat et le pamphlétaire ligueur (1542-1629).

(V. Du Verdier, II, p. 612. — Cf. Goujet, Biblioth. franç., VIII, p. 443 ; il cite de Louis d'Orléans une imitation de l'Arioste. — V. son article au T. XV, p. 267, sq).

Balsaeus, Carolus, Dunaeus (Epigr. VI, 10).

Ch. de *Balsac* (de Dunes ? — V. de Thou. De vita sua, lib. III), Evêque de Noyon, auquel N. Richelet dédia son commentaire de l'Hymne II, de Ronsard (Œuvres de Ronsard, Ed. Elzévirienne, V, p. 168).

Beatus, Janus (Epigr. II, 73. III, 30).

C'était un assez mauvais poëte, que P. raille dans les deux Epigr. citées. Un nom de fantaisie, sans doute.

(Lacroix du M., t. I, 94, mentionne un Cte Beato, savoyard).

Bellievraeus, Marcus-Pomponius (Epigr. III, 84).

Pomponne de Bellièvre [mort en 1607], qui fut ambassadeur, surintendant des finances, chancelier de France après Ph. Hurault de Cheverny.

[V. Ste Marthe, Eloges, p. 537].

Belnæus. (Epigr. III, 24, éd. 1618; dans l'éd. 1723, la même Epigr. a pour titre : « De Calvo »).

Jac. de Beaune, baron de Samblançay.

Bigotius, Edemericus, Tibermenius. (Epigr. II, 51).

Emery Bigot, sieur de Tibermeny, avocat, puis président au Parlement de Rouen.

[Cf. Pasquier. Lettres, II, 2 et 3, au T. II, pp. 27, 29].

Binetus, Claudius (Epigr. VI, 4).

Cl. Binet, l'ami et le biographe de Ronsard (v. Lacroix du M., I, 129; Goujet, II; Colletet, etc.). — D'après l'Epigr. de Pasquier, Binet avait restitué des fragments de Pétrone.

Birague et *Boutal* (voy. Maximus).

Boguierius, Janus (Epitaph. 43).

J. Boguier, Conseiller au Parlement de Paris.

Bonefius, Janus (Epigr. VI, 44, 52).

Jean Bonnefons, poète latin, auteur des « Basia », de la Pancharis. etc. — V. son article dans Goujet : T. VII, pp. 155-158. — Cf. Agr. d'Aubigné (éd. Réaume, I, 458 et 460 : Lettres de divers poincts de science ; lett. Xe).

Bossellus, Janus, Borderianus (Epigr. V, 103).

Jean Boiceau, Sr de la Borderie. — Auteur de plusieurs poèmes en français. Jean de la Péruse lui adresse une Ode, avec sa tragédie de Médée.

[Lacroix, I, 454]. — On trouvera d'utiles détails sur B. de la B., son amitié pour Jean de la Péruse, ses vers, dans Goujet, XII, 54, 61 et 67).

Bossulus, Matth. (Epigr. VI, 22).

Mathieu Boussu ? — « L'un des premiers philosophes et des plus éloquents orateurs de notre époque », dit Lacroix du Maine (t. I, p. 405) qui néglige de donner son nom français. — Brantôme signale un M. Bossulus qui fut précepteur de Don Carlos, fils de Philippe II, (Grands Capitaines, édit. Elzévir, 1858, t. II, p. 121).

Brino, Janus (Epigr. III, 62, IV, 30, 89; Epitaphes 26).

J. Brinon, Sr de Villène, conseiller au Parlement de Paris (v. son Epitaphe en vers français, par Pasquier, t. II, p. 930). Cf, Goujet, IX, p. 124. — Ronsard lui a adressé une Elégie (t. V), Baïf une Eglogue (éd. Pléiade franç., t. III, pp. 11-15), Ol. de Magny, le 28e sonnet de ses « Soupirs ». — Cf. A. Loysel, Dialogue..., p. 84.

Burdinus, Ægidius (Epitaphe 45).

Gilles Bourdin. — V. Sc. de Ste Marthe. Eloges des hommes illustres, p. 188. — Cf. A. Loysel : « Pasquier ou Dialogue des avocats, 3e conférence.»

Lacroix du M. (I, p. 201), cite un Tombeau de M. Bourdin, procureur général du roy, par François d'Amboise.

Ronsard lui adresse plusieurs pièces (Edit. Elzévir., III, 364. — V. 201 et 343).

Canaius, Jacobus (Epigr. V, 109-110).

Jacques Canaye, avocat. (V. A. Loysel, Dial. des Avocats, p. 112).

Castanius, Franç., Rupeposæus (Epitaph. 10).

Fr. Chastaignier de la Rocheposay, le Mécène de Jos. Scaliger, d'après Pasquier.

Ste Marthe (Eloges..., p. 231), cite un Louis Chasteignier de la R. P. qui fut élève de Joseph de l'Ecale, ou Jos. Scaliger. Un fils du précédent, sans doute.

Une lettre de Nicolas Pasquier (livre VII, lettre 17e) est adressée à M. de la Roche-Posay, évêque de Poitiers.

Castroclarus, Carolus (Epigr. III, 65).

Ch. de Chanteclair ou Chantecler, avocat au Parlement de Paris.— Traduisit en latin les « Césars » de l'Emp. Julien, 1577.

(V. Lacroix, VI, 42. — Cf. Scev. de Ste Marthe. Eloges...., p. 228. — Cf. Jul. Travers, édit. de Vauquelin de la Fresnaye, II, p. 835. — V. Goujet).

Chopinus, Renatus (Epigr. III, 63-64).

René Chopin (1537-1606). V. Lacroix du Maine, II, pp. 360-367. — Scév. de Ste Marthe : Eloges..., p. 551.

Clericus, Janus (Epigr. VI, 76).

Jean Leclerc, président aux Requêtes au Parlement de Paris. — Paraît bien être celui que Goujet appelle (XII, 244) « Jean *Cleric*, président aux requêtes au Parlement de Paris », et qui, avec Louis d'Orléans, Germain Vaillant, Pasquier et vingt autres, fit des vers pour le « Tombeau » poétique de Ronsard.

Cognetius, Angelus (Epigr. IV, 78).

Ange Coignet. (V. « La Main... », t. II, p. 1029.) — Cf. Lettres, X, 11, (T. II, p. 275), à M. Coignet, Sr de Congy, avocat au Parlement.

Coldræus, Franc. (Epigr. V, 97).

François de la Coudraye, (V. Lacroix du Maine, I. 213), avocat au Parlement de Rennes. Disciple de J. Peletier du Mans ; poète latin et poète français (Sonnets, Eglogues, Epithalames) ; il y a un poème de lui dans le Rec. de « La Puce...», t. II, p. 968.

Contius, Antonius (Icon. I, 155).

Ant. Le Conte, de Noyon, professeur de droit à Bourges et à Orléans. Mort en 1586. — (V. Ste Marthe. Eloges, p. 219). — V. son Eloge dans De Thou, « De Vita sua », Edit. Londres, 1733, t. VII, p. 7).

Dillierius, J. Beaumontius (Epigr. I, 66).

Jacques Dillier de Beaumont. Est-ce le même Dillier auquel J. du Bellay a dédié plusieurs des sonnets des Regrets ? (Ed. Marty-Laveaux, sonnets, 35-50-62-77-108-121-131.)

Duarenus, Franciscus (Icon. I, 154 et 155).

Franc. Duarin, de St-Brieuc, élève de G. Budé, professeur de droit, à Bourges. Mort en 1559.

(V. Sc de Ste Marthe. Eloges, p. 124. Cf. Jul. Travers, édit. de Vauquelin de la Fresnaye, t. II, p. 837).

Duperatus, Guilelmus (Epigr. VII, 22).

Sans doute Guil. Dupeyrat, de Lyon, qui adressa une Ode à Nic. Richelet, commentateur de Ronsard. (Œuv. de Ronsard, Biblioth. Elzevir., t. I, p. 280).

Duretus, Ludovicus (Epigr. IV, 102).

D'après le titre même : L. Duret, médecin du roi et professeur de médecine. — Sur la cynique franchise de ce médecin, v. A. d'Aubigné, Confession de Sancy (Ed. Réaume, t. II, pp. 315 et 316).

Faber, Janus (Epigr. II, 84. — Edit. 1618).

Quel est ce Jean Lefebvre qui « liait d'un même lien Mars et Vénus » ? (« Vinclo qui Martem et Venerem ligaris uno »).

Il y a un Janus Faber, dans les poésies latines de l'Hospital (Ed. 1825, t. III, liv. IV, 1, etc.).

Faber, Vidus (Epigr. I, 53 : IV, I. Epitaph. 57. Lett. V, 3).

Le fameux Guy du Faur de Pibrac, l'auteur des Quatrains (v. L. Feugère : Caractères et portraits littéraires du 16e Siècle, t. II. — J. Claretie, Notice sur P., en tête de l'Edit. des Quatrains, A. Lemerre, 1874, etc., etc.).

Faïus, Spessæus (Epigr. IV, 10, 13).

Jac. Faye d'Espeisses [v. Lacroix du Maine, IV, 411, et surtout Scev. de Ste-Marthe, Eloges.... pp. 384, 389], Conseiller au Parlement, ambassadeur en Pologne, maître des Requêtes, avocat général. — Mort en 1590.

Falchetius, Claudius (Epitaph. 80, édit. 1618).

Cl. Fauchet, l'auteur des « Antiquités gauloises et françoises ».

Fornerius, Guill. (Epigr. V, 87).

G. Fournier, ami de J. Robert et lui aussi professeur de Droit à Orléans. (V. Lettres, III, 1, t. II. p. 49 : « A MM. Robert et Fournier, docteurs et régents ès droicts en l'Université d'Orléans »).

Foxius, Paul., Carmaniacus (Epigr. V, 104).

(Paul de Foix, comte de Carmaing, ambassadeur de Henri III à Rome, et dont d'Ossat fut secrétaire).

V. Lettre de Pasquier à M. de Foix. Liv. VII, 1 (II, p. 171, etc.).

Garsentius, Julius (Epigr. VI, 82).

Julien de Guersens (ou comme il se nommait : Caye Jules de Guersens,) 1543-1583, savant en plusieurs langues. — Prétendant de Catherine Desroches, sous le nom de laquelle il fit imprimer sa tragédie de Panthée (Poitiers, 1571.) — V. frères Parfaict, Hist. générale du théâtre français, t. III, pp. 357-358. — Lacroix du Maine. — Du Verdier. — Cf. Em. Faguet : Tragédie au XVIe siècle, p. 177.

Guersens avait fait aussi un Tobie joué par les Clercs de la Basoche en 1578. — Cf Jul. Travers, édit. de Vauquelin..., t. II, p. 856. — V. son Article dans la Biblioth. franç. de l'abbé Goujet, t. VII, 265-268.

Genettus, Pictor (Epigr. II, 6,92).

Ne serait-ce pas Fr. Clouet, dit *Janet ?* (V. Ronsard : Elégie à Janet, peintre du Roy, au liv. I des Amours. — Edit. Elzévir., t. I, p. 132, sq.).

Girardus, Bernardus (Epigr. IV, 52).

Bernard de Girard, Sieur du Haillan, de Bordeaux ; poète latin et français, historien, orateur.

[Lacroix, I, 72. — Du Verdier, III, 225. Bayle : art : Haillan, etc.]

Guelæus, Joannes (Epigr. IV, 10, 12).

Jean de la Guesle, procureur général au Parlement de Paris, puis président. (V. Lacroix du M., t. I, p. 516. — Sc. de Ste-Marthe. Eloges...., p. 352).

Hamellus, Nicolaus (Tumul. 110, édit. 1618).

Nic. Duhamel, avocat. « Il porta la parole pour les avocats en 1602 ». V. les Opuscules de Loisel, p. 445, dans les piéces qui précèdent le Dialogue. (Note de Dupin, à la suite de « Pasquier ou Dialogue.... », édit. 1844, p. 147).

Hennequinus, Renatus, Sarmosius (Epigr. VI, 77).

R. Hennequin, seigneur de Sarmoise, conseiller du Roy et maître ordinaire de ses Requêtes (d'après Pasquier, Lettres X, 8. [T. II, p. 273]).

Iber (Epigr. I, 87).

Le valet de Pasquier. — « Basque ? »

Igneus, Janus (Epitaph. 54, éd. de 1618).

Jean.... — D'après l'Epitaphe, il fut professeur de Droit à Orléans, puis président au Parlement de Rouen.

Insulanus, Franciscus (Epigr. V, 8, 17).

François de l'Isle, parisien, procureur au Parlement ; poète latin et mathématicien. — En 1589, il publia une apologie en vers latins pour Lucain, contre Jos. Scaliger qui accusait le poète d'ignorance en astronomie. (Lacroix, I, 227).

Junius, Claudius (Epigr. IV, 3).

Ce musicien, qui mit en musique des vers de Baïf et d'O. de Magny, paraît bien être C. Le *Jeune*. (V. E. Courbet, Vie d'Ol. de Magny, ap. « Dernières poésies d'O. de M., chez A. Lemerre, 1881, t. I, p. XVI). — Dans Ronsard « Préface sur la musique au roy Charles IX ». (Ed. Elzévir., VII, p. 340). Le Jeune n'est pas cité, mais il y a un certain « Claudin. » ?

Lacteus, Antonius (Epigr. III, 80).

Ant. Dulac, avocat au Parlement. (V. Loysel, Dialogue... p. 99). — « Petrus Lacteus » (la Main, t. II, p. 1009), est son frère, qui fut aussi avocat. — Loysel, ibid.).

Leschacerius, Jacobus (Epigr. VII, 18).

Jac. Leschassier, avocat au Parlement de Paris. (V. Lettre de Pasquier, à M. Leschassier, XIX, 7, t. II, p. 551).

Lescotius, Janus, Clanæus (Epigr. I, 72).

V. Lacroix du M., t. II, p. 276 — Ronsard adresse un poème (édit. Elzévir., VI, p. 188), à « Pierre L'Escot, abbé de Claremont, seigneur de Clany.... »

Liedus, Vidus (Epigr. VI, 75).

Guy..?. — C'était un ami du Card. d'Ossat. Je n'ai pu découvrir son nom.

Luxemburgæus, Sebast. (Epitaph. 12).

Sébast. de Luxembourg, vicomte de Martigue. — V. au t. II, p. 932, son Epitaphe en vers français par E. Pasquier.

Mænilius, Baptista (Epigr. I, 53. Epitaph. 27).

Bapt. du Mesnil (1517-1569), avocat du Roy au Parlement de Paris. — Ses « oraisons » ne sont point imprimées. Lacroix du M. renvoie aux opuscules d'A. Loysel. Des vers latins de lui se trouvent à la fin des Poésies du chancelier l'Hospital.

V. Lacroix du M., t. I, 67. — Loysel, Dialogue... p. 107. — Sc. de Ste-Marthe. Eloges...., p. 185.

Marilliacus, Carolus (Epigr. II, 70 ; III, 45 ; IV, 73. Epitaph. 23).

Ch. de Marillac (fils de Guillaume de Marillac), celui qui fut le pupille de Pasquier.

Marius, Simo (Epigr. IV, 34).

Simon (ou Siméon) Marion, avocat célèbre (mort en 1605, d'après de Thou) qui plaida contre les Jésuites.

[Lacroix du M., II, 405. — Ste-Marthe, p. 346].

Maximus (Epigr. I, 25).

Sous ce nom P. vise le médecin Boutal, grand verseur de sang, — et derrière Boutal, le patron de celui-ci, un des partisans de la « saignée » en politique, le chancelier Birague.

Menardus, Martinus (Epigr. IV, 62).

M. Mesnart, avocat au Parlement de Paris. — Editeur des Décrétales, 1555 (V. Lacroix, VI, 168. — Cf. Pasquier, Lettres, VIII, 12, p. 218 B).

Minoes, Claudius (Epigr. II, 62).

Cl. Minoe, auteur de « Alciati vita », Leyde, 1591. — Pasquier l'appelle quelque part M. Minos : Lettre à Tabourot, Liv. VIII, 12 — [t. II, p. 211-218]. — Goujet (VII, p. 79), le nomme : « Claude Mignault, bourguignon, avocat du Roi au bailliage d'Etampes, et Doyen des professeurs en droit canon à Paris ».

Mollæus, Jos. (Epigr. III, 90. Epitaph. 24).

Jos. de la Mole.

Morellus, Janus (Epigr. I, 62 ; IV, 35).

Est-ce le J. de Morel, d'Embrun, précepteur du Grand Prieur d'Angoulême et ami de J. du Bellay, lié avec tous les grands poètes, père de trois filles célèbres pour leur érudition ? — [V. Lacroix, I, 557. — Du Verdier, IV, 476. — Ste Marthe, Eloges, p. 292].

D'après Lacroix du Maine, il parut en 1583 un Recueil d'Epitaphes, grecques, latines, françaises, sur J. de Morel. — Cf. J. du Bellay, « Vers traduits, 1552 », Epit. au Sr Jean de Morel, Ambrumois, Gentilhomme de la Maison de la Reine. Cf. Ronsard, passim. — V. L'Hospital, III des P. latines.

Appartenait-il à la célèbre famille des Morel, imprimeurs ? Agr. d'Aubigné eut pour 3me précepteur, un Jean Morel, fils de l'imprimeur Guillaume (« Sa vie à ses enfants », éd. Réaume, t. VI).

Enfin, d'après l'Epigr. 62 du liv. I, le personnage pourrait bien être ce Jean *Morel* ou Morelli, parisien, auteur d'un livre de la Discipline et Police chrétienne, impr. à Lyon 1562 (Lacroix du M., I, 558).

Morellus, Martinus (Epigr. VII, 125).

D'après l'Epigramme, ce M. Morel ou Moreau, aurait été depuis 50 ans et 6 mois, officier des finances, à Loudun.

« Denis Lauduni jam lustris, menseque seno
Regia subsidii Curia cessa tibi est ».

Morinus, Petrus (Epigr. IV, 37 ; V, 106).

C'est le P. Morin auquel Pasquier adresse la Lettre 2e du livre X (t. II, p. 261). Il résidait depuis vingt ans à Rome, où il s'était lié avec M. A. Muret. (V. Epigr. V, 106).

Nicolaius, Jan. (V. Déd. du liv. VII des Epigr.).

J. de Nicolaï, premier président à la Cour des Comptes.

Perrotus, Nicol. (Epigr. V, 13).

Nicolas Perrot, conseiller au Parlement. — Il y a un « Carolus Perrotus », T. II, p. 1031 (« La Main »).

Petræus, Simo, medicus (Epigr. III, 67).

S. de la Pierre, médecin de Pasquier. — Pasquier était son avocat.

Pogesius, Alex. (Epigr. II, 14).

Lacroix du M., II, p. 277, mentionne un Nicolas Poget, chirurgien qui a écrit une Apologie contre les Médisans de M. Laurent Joubert.

(Cf. Pasquier. Œ., I, p. 1118, une réponse d'Alex. Pogesius et t. II, p. 1027-1028 : la « Main » de Pasquier).

Portanus, Petrus (Epigr. VI, 71, édit. 1723).

Pierre de la Porte ? Il m'est inconnu. — Je note que la même Epigramme est, dans l'édition de 1618, adressée à *Petrus Albenus*, qui m'est également inconnu.

Portanus, Philippus (Epigr. IV, 65).

Le poète Ph. Desportes. — Cette Epigramme nous apprend un détail intéressant : Ph. Desportes avait promis d'écrire dix satires, et il n'en avait écrit qu'une seule.

« Spondebat satyras bis quinas scribere noster
Portanus ; tantum scripta sed una fuit.... ».

Præpositus, Bern. (Epigr. II, 1).

Bern. Prévost, S[r] de Morsan, conseiller du roi au Conseil d'Etat, second président au parlement de Paris. (V. « La Main », t. II, p. 999-1000).

Prevotius, Aug., Brevannius (Epigr. III, 42).

Aug. Prévost de Brévannes, secrétaire du roi (V. « La Main... », t. I, p. 1029).

A. Loysel, Dialogue des avocats, pp. 117-118, le nomme Augustin, le Prévost, S[r] de Brévant. — (Cf. t. I, p. 1117, l'Epigr. de Prévost à Pasquier, à laquelle P. répond par l'Epigr. III. 42).

Puteanus, Claudius (Epitaph. 49, édit. 1618).

Cl. Dupuis ou Du Puy, conseiller au Parlement, fils de Clément du Puy, avocat (v. Loysel, Dialogue, p. 80). — Peut être le père des savants MM. Dupuy.

Quercu, Leodegarius a.. (Epigr. II, 48, etc.).

Léger du Chesne, qui avait fait des vers latins sur la naissance de Fr. de Gonzague, fils de Monsieur de Nevers, traduits par J.-A. de Baïf [Lacroix, IV, 336].

Querquisinenus, Claudius (Epigr. IV, 19).

Cl. de Querquisinien, seigneur d'Ardivilliers (V. Pasquier, Lett. II, 11-12, t. II, p. 43-45).

Ramatus, Janus (Epigr. V, 36).

Jean Ramat, un des quatre avocats ordinaires de l'Université de Paris en 1564 (V. Pasquier, Lettres XXII, à la suite de la lettre cotée 12e).

Rebursius, Claudius (Epigr. II, 100, III, 70, IV, 56).

Cl. Rebours, médecin, grand ami de Pasquier. (V. « La Main... », t. II, p. 1027).

Regius, Lodoïcus (Epigr. III, 50).

Louis Le Roy, dit « Regius », commentateur de Platon (Goujet, XI, 145), traducteur d'Isocrate (Goujet, II, 204) ; voyez son éloge dans Goujet, XIII, 128-129.

Richeome, Ludovicus, Sotericus (Epigr. VII, 68, 69).

Le Jésuite Richeome. — V. D'Aubigné. Confession de Sancy (Ed. Réaume, t. II, pp. 247-341-346 et t. IV, p. 373).

Robertus, Janus (Epigr. V, 86).

J. Robert, professeur de droit civil à Orléans. — Cf. Epigr. V, 89, à Anne Robert, fils de Jean. — V. plus haut : *Fornerius*.

Ruellus, Pepinus (Epigr. V, 21, 27, 28, 32).

« M. de la Ruelle Pépin, gentilhomme de Bretagne ». [Lacroix du M., t. I, p. 406, art. J. du Perron]. — Il avait traduit des poèmes de Claudien (Goujet, t. VI, 317). — Auteur de II livres d' « Amores », intitulés l'un « Sylvia », l'autre « Victoria », d'après les Epigram. 27 et 28 du liv. V.

Sæva, Antonius (Epigr. IV, 88).

Ant. Sève, seign^r^. du Pré, président au siège présidial de Melun (d'après Lettre de Pasquier, IX, 11, au t. II, p. 243...). — Son frère était médecin à Melun. Ibid.

Scribanius, Carol. (Epigr. VII, 70 à 75).

C. Scribanius (?), jésuite, auteur de l' « Amphitheatrum mundi », qui s'était caché sous le nom de « Carol. Bonarcius ».

Sibilætus. (Epigr. III, 55).

Th. Sebilet ou Sibilet, auteur de cet Art poétique que Pasquier célèbre avec enthousiasme dans les Epigrammes 41 et 55 du liv. III. — Cf. La réponse de Th. Sibilet à Pasquier, t. I, p. 1117.

Sulfureus, Petrus, Valla (Epigr. III, 88).

M. de Soulfour, conseiller, puis président au Parlement.

V. « La Puce », t. II, p. 982. Cf. Procès-verbal des Etats de 1593, p. 737. — V. Goujet.

Tahureau, (In « Democritici » *scriptorem*. Epigr. III, 59).

L'abbé Goujet nous apprend (Bibl. Franc., T. XII, p. 43) que cette épigramme visait *Jac. Tahureau*, l'auteur de deux Dialogues (parus en 1566, in-8°) dont les interlocuteurs sont le Democritique et le Cosmophile.

Tillius, Tilletius.

I° *Jean du Tillet* (Janus Tilletius), Evêque de Meaux. — Epigr. I, 78. — Sur ce docte prélat, voy. Ste-Marthe, Eloges, p. 79. — de Thou, liv. XLVII, 974. — Bayle, p. 2737. Notes D.

N. B. — Il y eut un autre Jean du Tillet, historien, qui entretint une correspondance (pub. Genève 1850) avec Calvin.

II° *Louis du Tillet* (Ludov. Tilletius, Epigr. IV. 70) que P. qualifie : Barrhusius Senator, titre que je n'entends pas.

Tusanus, Jac. (Epitaph. 59, Ed. 1618, p. 305).

Jac. Tusan, professeur de grec au collège de France. — Son fils, Médard Tusan, fut avocat (v. Loisel, Dialogue. p. 113).

Valla, Mathæus (Epigr. III, 16).

Auteur d'hymnes sacrés.
On trouve (« La Main... », t. II, p. 1026) un Nicolas Valla. — Cf. Bayle, qui ne lui donne pas le prénom de Mathieu.

Valliabertus (Epigr. II, 52).

Simon de Vallambert, médecin, traducteur du Criton (v. Lacroix du M., t. II, p. 416. Cf. du Verdier, V, p. 476).

Valens, Germ., Pimpontius (Epigr. I, 29).

Germain Vaillant de Guelle, abbé de Pimpont, évêque d'Orléans, mort en 1587. — Commentateur de Virgile. Il y a de lui des vers latins dans le recueil « Delitiæ poetarum gallorum ». — Ronsard, Belleau, Passerat lui ont dédié des vers.
(V. Lacroix, I, 269. — Ste Marthe, p. 349. Cf. Goujet).

Verdunus, Nicol. (Epigr. VII, 92).

Nic. de Verdun, conseiller d'Etat et premier président au parlement de Toulouse — (Lett. XIX, 2, au T. II, p. 543). Il succéda à Ach. de Harlay au parlement de Paris, d'après l'Epigramme) — La 28e Ode du Ve liv. de Ronsard (Edit. Elzevir., II, p. 369) est adressée à M. N. de Verdun, secrétaire et conseiller du roi).

Viola, Jana (Epitaph. 8).

Sc. de Ste Marthe dit (Eloges, p. 384) de Jacques Faye d'Espesses qu'il était fils « d'une femme de la noble famille des Violes ».— Il semble que les premiers mots de l'Epigramme : « *Nata inter violas* .... » indiquent une même origine.

INSULIS, TYP. L. DANEL.